DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE PSYCHOPATHIIS AUCTORE...

Emerico Antolkovich de Kalinye

sebenkato

24

Dissertatio

inauguralis medica

de

PSYCHOPATHIIS.

Auctore

Emerico Antolkovich de Kalinye,

Medicinae Doctore.

VIENNAE.

Typis Caroli Ueberreuter.

1840.

712

Procemium.

Adgredior materiam, vix universae ad mirandam in scientiis naturalibus perfectionem emergentis artis, nedum exiguis viribus meis aequam, difficultatibus undiquaque septam, videlicet Tractatum de Psychopathiis, morbis omnigeno respectu dignissimis. — Adlexit me ad hanc suscepti negotii audaciam tum objecti dignitas summa, cujus et gravitas maxima sub labore ipso mihi primum innotuit, tum et praecipue quidem singularis ac omnibus numeris exacta clarissimi ac celeberrimi Domini Professoris *Francisci Nob. ab Hildenbrand*, — Magistri mei summe venerandi, cujus, usque dum vivam, gratus recolam memoriam, — ejusdem hujus objecti explanatio, nullis unquam sat evehenda encomiis; atque ipsa haec Tanti Viri ex ore hausta principia opusculi hujus, ad quod concinnandum, haud vanae gloriae cupido, aut nimius scribendi pruritus, quam potius officium sacrum, atque ferrea legis academicae duxit necessitas, basim ac fundamentum constituunt unicum.

Lector benevole! nova atque inaudita hocce brevi in tractatu frustra quaesitabis; quae in vastis auctorum operibus dispersa reperire mihi licuit, ea in ordinem colligere, atque quantum humeri ferre valebant, in unum jungere totum tentavi. Imperfecti laboris bene conscius, nonnisi fretus conamine sincero, problema mihi impositum pro viribus solvendi, praesens opusculum benigno ac benevolo lectoris periti comitto judicio.

Viennae, 10. *Januarii* 1840.

Notio Psychopathiarum generalis et Synonyma.

---

§. 1. Nomine Psychopathiarum veniunt morbi homini κατ' ἐξοχὴν proprii, ubi nempe illae facultates a norma abludunt, quibus homo a caeteris animalibus distinguitur. — Morbi hi coaevi sunt generi humano, quia facultates psychicae cum ipso homine evolvuntur, proin et morbi earum in aetatem generis humani cadere debent. — Jam antiquissimis temporibus eorum occurrit mentio; scimus enim Kainum delirasse ita, ut se in brutum transmutatum cogitaverit (Zoanthropia); sic et regem Saulum Mania misanthropica adfectum, ab eaque ope musices liberatum exstitisse. Inter Graecos Alkmeon et Orestes Maniae a remordentis conscientiae furiis excitatae; et diis exosus Belerophon Melancholiae, quam Homerus vividis depingit coloribus, (Ilias VI. 200.) praebent exempla. Referenda quoque huc singularis Scytharum Melancholia, (θηλεια νȣσος), cujus *Hippocrates* injicit mentionem, qua detenti, ob perfectam generationis ineptitudinem, se a Diis adflictos ac in mulieres conversos reputabant. Illud malum nonnisi ditiores invadere visum est, qui equitando mercari soliti, cum nullis uterentur stapedibus, pendulis continuo cruribus genitalia comprimendo, generationis impotentiam contraxisse dicebantur. — Qui morbi animae eotum temporis qua effectus improbi daemonis, vel qua poena ab irato Deo proveniens reputabantur.

§. 2. Longe rariores tamen priscis temporibus morbi mentales fuerunt. — Quousque enim stirps humana rudem adhuc et simplicem Arcadiae duxit vitam, majorem corporis et animi servavit immunitatem; ast nostro aevo, quo genus humanum repudiata omni vitae ratione, animo nonnisi omnis generis libidine fracto ducendum sese tradidit, atque spretis moralitatis

principiis nonnisi lascivientis imaginationis chimaeris mentem submisit; ubi tanta hominum cohors vitam transactam non annorum, sed morborum metitur numero; ubi infracta eorum virtus vitalis et moralis, tot et tantis renitendo malis minime sufficit; tanta nunc morborum psychicorum frequentia haud difficulter concipitur. —

§. 3. Nomina, quibus hi morbi facultatum psychicarum designari solent, valde unilateralia sunt, plerumque speciem, non totam morborum familiam designant; uti Delirium, quod est proprie species morbi mentalis, nec ad animum refertur; idem valet de Mania, Alienatio mentalis *(Pinel)*, Mental derangement *(Crichton)*, Insanity *(Cox)*, Madness *(Haslam)*; Aegritudo, quod ad solum animum exclusa mente refertur. Aptius proin hi morbi nomine Psychopathiarum insigniuntur, seu nomine passionum illarum virium et facultatum, quae jam ut mens cogitans, jam ut animus volens se manifestat: *Anima, Psyche;* inde *Morbi animae*, seu *Psychopathiae.*

§. 4. Consistit vero Psychopathia quaevis in sublata relatione harmonica facultatum et functionum animae inter se, et cum mundo externo, ita, ut homo suprema sua dignitate, nempe conscientia sui ipsius, rationis recto usu, atque libera voluntate privetur.

Patet hinc differentia morbi psychici a perversitate morali seu *peccato*, in quo rationis usus liber, et arbitrium liberum adest, quod educatione morali sanari, et voluntate firma emendari potest; in Psychopathiis vero de rationis usu, conscientia et voluntate libera nullus est sermo, fit hac ratione homo ex ente libero ens automaticum. —

Nosographia.

1. *Hypotyposis.*

§. 5. Morbus psychicus rarissime de repente evolvitur, sed praecursoriis potissimum symptomatibus ceu Prodromis adventum suum adnunciare solet, e quibus ad genus, imo nonnunquam etiam ad speciem aberrationis mentalis inde evolven-

dae concludere licet. — Prodromi vero hi partim in vita *psychica*, partim in *somatica* in conspectum prodeunt.

§. 6. Inter praecipua *signa praecursoria psychica*, quae Psychopathiam subseqnam divinare sinunt, referuntur: immutatio characteris moralis, placidi in ferocem, honesti in indecorum, verecundi in impudicum; loquela plus minusve confusa, inconsequens, clamosa; garrulitas et vivacitas inconsueta, sermocinatio cum absente; gestus varii inconcinni; perceptio sonorum nequaquam praesentium; inquietudo et versatilitas insignis; ficta affabilitas et hilaritas profusa, aut ex opposito tristitia et animi dejectio summa absque ratione sufficiente; animi pathemata effrenia, a minimis causis excitanda; summa sensilitas moralis, pronitas in lacrymas, vel vero indifferentia et immobilitas ecstatica; fastidium illorum, quibus delectabantur antea, ideae heterogeneae, sine fine sese excipientes, earumque confusio tanta, ut narrando filum sermonis amittant.

§. 7. Inter *phaenomena praecursoria somatica* frequenter observatur insolitus erethismus organorum sensuum externorum, qui tamen sensim remittit, eodemque passu in statum labitur contrarium, quo magis morbus psychicus in conspectum prorumpit; harmonicus virium et facultatum concentus perturbatur; oritur anxietas; pervigilium molestum, alias somnus nimis protractus, inquietus, insomniis terrificis et gravantibus turbatus; suspirium frequens; alienatio totius physiognomiae; facies mox insolito notatur rubore, mox vero pallescit; oculi modo protrusi et lacrymantes, modo in orbitam retracti; adspectus nunc vividus et ferox, alias languidus, timidus ac vagus; anorexia aut voracitas; robur musculorum taurinum, aut praeter normam imminutum; incessus mox celer et praecipitatus, mox tardus atque vacillans, corporis plumbea gravitas, summaque pigritia ad motum, ita ut situm semel electum trunci adinstar immobiles servant.

§. 8. Praegressis hisce phaenomenis variabilem hucusque et versicolorem naturam servantibus, syndrome evolvitur symptomatum, definitum ac constantem magis exhibentium characterem, e quibus nunc jam prorumpentis mali psychici specialis

determinari potest forma. Haec proruptionis symptomata aeque distinguuntur in *psychica* et *somatica*.

§. 9. *Symptomata proruptionis psychica* comparent modo in facultate intuendi, cogitandi et judicandi: *Mente;* modo in facultate sentiendi et volendi: *Animo;* modo in utroque simul. Imaginatio exaltata, falsis delusa phantasmatibus; mens internis distracta impressionibus; reminiscentia praeteritorum confusa aut nulla, promptissima tamen illorum, quae sub morbi decursu evenerunt; idearum undeunde ortarum praepostera compositio et disjunctio; judicium a communi sensu aberrans; bonum a malo distinguendi facultas abolita; voluntatemque rationis ad nutum dirigendi impotentia, sublatum Psyches cum rebus aegrum ambientibus commercium indicant. — Synthesis et analysis actionum deest, inde gestus incongrui, loquela confusa, repetitio verborum et actionum singularum in infinitum (Maleatio), defectus munditiei; religionis cultus neglectus; modestiae, pudicitiae, socialis et individualis dignitatis humanae oblivio. Ast facultas judicandi non ex omni semper parte pati videtur, non raro enim dementes vestigia sensus justi et injusti, imo et sub paroxysmis majus ingenii acumen ostendunt; simulationis fraudisque in exsequendis facinoribus adhibere sciunt artes, argutiis et astutia opposita ipsis vincere student impedimenta, dolosasque suas celant intentiones, quibus vero, remotis obstaculis, satisfacere non omittunt. — Haec quoad alienatam mentem; — sed non minus et voluntas afficitur, unde animus mox profundo submersus lethargo singularem apathiam, et stupidam offert adiaphoriam; mox vero vehementissimis circumactus turbis in effrenata prorumpit pathemata. Anxietas, diffidentia, timiditas, intolerantia, morositas, pertinacia et implacabile odium erga medicum et praefectum; antipathia erga res prius amatas, deletus amor patriae, parentum, et suorum etiamsi antea dilectissimorum; insatiabilis vindictae cupido ac invincibilis saepe propensio sibi aut aliis violentas inferendi manus; inclinatio ad res insolitas, absurdas, vetitas, ut urinam, excrementa propria, gravis suppeditant facultatum sensorii com-

munis passionis formas, quae mox seorsum, mox alternatim comparent.

§. 10. *Symptomata proruptionis somatica* sequentia notantur: virium muscularium robur insolito modo augetur; sensibilitas nervorum imminuitur eodem tenore, quo systematis cerebralis maxima evolvitur hypersthenia; aequilibrium atque justa catena inter sensus externos et sensorium commune perturbatur, unde hallucinationes sensuum vel omnium insimul, vel singulorum sub seriori morbi psychici decursu, consuetissimi ejusdem esse solent comites; sensus externi inferiores, tactus, gustus, et olfactus rarius quidem, sed primi generatim abludunt, serius ii altioris ordinis: visus et imprimis auditus *) illusionibus falluntur, quae fixas illorum ideas plerumque concernentes, malum jam praesens ultro sustinent et intendunt. — Peccat coenaesthesis, unde aegri modo de situ organorum mutato, modo de praesentia animalium peregrinorum in corpore somniant, modo vero perflatui aurae frigidae undiquaque se expositos autumant **). Plerumque tamen gangliaris sensibilitas ad notabilem torporis gradum deprimitur, unde insensilitas erga frigus algidum pariter, ac calorem urentem; dolorum incuria, nullaque receptivitas erga ingentes doses medicaminum efficacissimorum. Nunc singularis languor omnium cupidinum et instinctuum naturalium, nunc vero bulimos et voracitas insignis absque ullo selectu ciborum; alvus segnis, urina plerumque parca, sudores exigui; cutis arida, aspera; foetor specificus, similis ei, quem vivaria animalium ferocium eructant; excedens salacitas sexualis, unde frequens Onania. — Vultus alienatio affectui dominanti respondet, ita, ut in aliis adspectus sit tristis, flens, in aliis hilaris semperque ridens; in aliis item minax, torvus, cum oculis fixis, scintillantibus, vel demum penitus indifferens, apathicus. Peculiare a celeberrimo *Haslam* ***) observatum phae-

*) Secundum observationes clar. *Nord* hallucinationes auditus quadruplo frequentiores occurrunt in Psychopathiis, quam illae visus.

**) *Reil*, Rhapsodien. Halle 1803. S. 278.

***) Beobacht. über den Wahnsinn, a. d. Engl. Stendal, 1800. S. 23.

nomenon est relaxatio galeae aponeuroticae, praesertim in occipite post diuturniores paroxysmos visa, ut in plicas notabiliter elevari possit, cui phaenomeno spastica contractio iridis frequenter adsociatur. — Pulsus demum arteriarum mox nullas exhibent aberrationes peculiares, mox vero cum Psyches qualitate in peculiari nexu versari videntur. Ita clariss. *Cox* *) notatu dignum observavit casum, ubi dum 50 numeravit ictus, aeger fuit melancholicus; adscendente ad 70 ictus pulsu, mentis erat compos; 90. vero micante arteria furoris subintravit paroxysmus. — Secundum ulteriores ejusdem observationes **) in morbis psychicis pulsus arteriae radialis ab illo carotidum plerumque differt, ita quidem, ut si ibi sit debilis et mollis, in hisce tangatur fortis et durus, numero pulsuum ubique eodem; haec tamen differentia ob insignem vasorum magnitudinis disproportionem etiam in statu normali facile obveniens, minorem meretur dignitatem; praestabit hinc monente *Blumröder* ***) comparatio pulsus brachialis cum illo arteriae temporalis, quacum ratione diametri magis congruit.

2. *Diagnosis et Differentiae.*

§. 11. Etiamsi Psychopathiarum Diagnosis e phaenomenis modo enumeratis plerumque haud difficulter desumatur, negari tamen nequit, quod aliquae morborum psychicorum species maximas in dignoscendo, haud raro vix devincendas offerant difficultates. Perturbationes namque mentis non adeo distant a sano ejusdem statu; arduumquae sat frequenter foret opus, inter utrasque certos statuere limites, hujus ultimos terminos priorisque determinare initia †). Fons item diagnoseos uberrimus

---

*) Bemerkungen über Geisteszerrüttung, Halle 1811, p. 183.

**) l. c. p. 9.

***) *Friedreich's* Archiv 1834. Heft 3.

†) Es ist kein so himmelweiter Weg vom Nichtirreseyn zum Irreseyn, und es ist noch kein Mensch gestorben, der nicht mehr oder minder öfter oder seltner, früher oder später, länger oder kürzer närrisch war, wenn er auch nicht so aufrichtig war es drucken zu lassen. *Blumröder* (über das Irreseyn. Leipzig 1836, p. 161). — *Burrows*

examen videlicet aegrorum, quod facem nobis praeferret, frequentissime hic quam maxime desideratur, modo ob naturam ipsius mali, modo ob inflexibilem aegrorum pervicaciam, quae summo quandoque sunt obstaculo, sermoni cum aegris de statu illorum ciendo.

§. 12. Juvabit hinc in stabilienda diagnosi non solum ad morbi imaginem, sed etiam originem, omniaque cum eodem quocunque in nexu versantia momenta, item differentias et analogias cum adfinibus morbis debitum convertere respectum. Maxime necessaria itaque erit cognitio omnium physicorum et psychicorum influxuum, qui ante eruptionem mali psychici suos in aegrum exerebant effectus; prout et eorum momentorum consideratio, quae e praesente aegri statu emanant, utpote conditio rerum eum ambientium, habitus ejus externus, modus se gerendi, verbo tota ejus somatica et psychica imago superius adumbrata.

§. 13. Morbi psychici in genere decursum plerumque chronicum observant, per annos saepe sine notabili corporis qualitatum externarum ejusque functionum alienatione excurrentes, ubi e contra morbi iis similes plerumque acutissime et magno cum periculo decurrunt. — Maxime quoad phaenomena cum Vesania convenit Delirium, quod tamen haud unquam sistit morbum idiopathicum, sed tantum symptoma febris, quae accidentalis in Psychopathiis indissolubilis Delirii est comes. — Haec eo magis valent de Phrenitide, quae febri inflammatoria manifestissima, laesione omnium virium et facultatum somaticarum, decursu acutissimo ac definito durationis cyclo excellit. — Sine negotio distinguuntur reliqui morbi, qui facultates mentales pervertunt, et plus minusve perfecta abolitione sensuum externorum et internorum incedunt, uti Apoplexia, Ca-

---

(Commentare p. 9.) quoque dicit: die Abstufungen zwischen Geistesgesundheit und Wahnsinn sind manchmahl so unmerklich und unbestimmt, dass ein hoher Grad von Scharfsinn in Anspruch genommen wird, um den Unterschied zwischen beiden zu finden. — Cf. *F. Lelut*, Aufsuchung der Analogie zwischen der Verrücktheit und dem Vernunftzustande. (Gazette med. de Paris. Nr. 22. 1834. *Schmidt's* Jahrbücher, Bd. V. p. 64.)

rus, Coma, Cataphora etc. — Similiter facilis est distinctio Crapulae habito respectu causae excitantis, quae mox ex halitu Bacchum redolente innotescit. — Hysteriasis eique analoga Hypochondriasis imprimis si in individuis temperamenti melancholici occurrant, difficiliorem jam exhibent diagnosim; in his tamen etiamsi imaginatio perversa, anxietas, diffidentia, animique dejectio observentur, facultas judicandi utplurimum non est vitiata. — Maximas vero quandoque difficultates in diagnosi casus simulatae Vesaniae offerunt, medicum peritum, perspicacem, imo versutum deposcentes. Juvabit vero hic medicum frequens clandestina et diligens observatio omnium actionum et sermonum talium fraudatorum, quibus etiam sub perfectissima Vesaniae adfectatione, constantia ac consequentia, et peculiaris ille nulla imitatione assequendus adspectus atque habitus Vesanorum deest, qui nulla quidem descriptione depingendus, ast diagnosim sat frequenter decidit, incertis omnibus reliquis signis.

3. *Decursus.*

§. 14. Decursus Psychopathiarum est plerumque diuturnus, indefinitus, cyclis determinatis destitutus, magisque a consociatione dispositionis cum circumstantiis fortuitis dependens. — Nonnulli morborum psychicorum ad finem usque eandem retinent formam, qua primo comparuerunt, alii vero plures imagines percurrunt, et horum character specialis in ipsa hac formarum mutatione consistit. Plures morbi mentales iteratis accessibus paroxystice recurrunt, intercedentibus sic dictis lucidis intervallis; strictam tamen in paroxysmorum reditu nonnisi tunc observant periodum, si forte variae febris species, ut intermittens, puerperalis, vel vero suppressio menstruorum, sub forma Delirii vel Maniae occurrant; tunc intervalla lucida apyrexiis respondentia observantur. Frequentius vero paroxysmis irregularibus a causis plerumque fortuitis excitatis insigniuntur.

§. 15. Inter momenta, quae in decursum morborum psychicorum imprimis influere videntur, notari merentur:

1. *Anni et diei tempus.* Vere et autumno frequentes exacerbationes observantur, prout et Psychopathiae periodice recurrentes hisce plerumque temporibus suos insultus repetere consuescunt; — unde proverbium: „si faba florescit, stultorum insania crescit." — Quoad diei tempus; senescente die omnia symptomata ingravescere, ad integram saepius noctem porrigi, et redeunte Phoebo tandem mitescere observantur.

2. *Tempestas*, quae jam in Psychen sanam manifestum exercet influxum, eo igitur magis in morbosam; coelum clarum et serenum aeque benefico agit modo in mente captos, quam et sanos; imminens vero tempestas vel procella, et praefocans, qui eas antecedit, aestus, unacum electricitate negativa, prout et frigus nimis excedens, cuncta morbi symptomata potenter intendunt.

3. *Defectus nutrimentorum* copia et indole debitorum, qui jam pro se morbo psychico producendo par est, malas semper, imo lethales saepe sub decursu habet sequelas *).

4. Utrum et qualem in decursum Psychopathiarum *lunae phases* exerceant influxum, difficile est determinare, quum totidem observationes pro et contra praesto adsint. *Celsus* enim (de Medicina Cap. IV.) jam dicit: „Cui caput infirmum est, is, si bene concoxerit, leniter id perfricare manibus suis debet, nunquam id, si fieri potest, veste velare, aut ad cutem tondere, utileque *lunam* vitare, maximeque ante *lunae* solisque concursum." — *Paracelsus* quoque et post illum *Daquin* tempore novi et plenilunii morbos psychicos notabiliter exasperari contendunt; *Chiarugi* vero tempore primi quadrantis, et *Perfect* demum primum inter et ultimum quadrantem exacerbationes observasse asserunt. E contra vero *Hutchinson*, *Haslam* hanc lunae vim nunquam animadvertere poterant, *Paryeter* et *Cox* penitus negant. — Negari interim nequit, dementes sub plenilunio frequentius, quam quovis alio tempore, exaltatos esse; quod vero a lunae lumine potius, quae eadem ratione ac illa

*) *Pinel*, philosoph. medicin. Abhandluug über Geistesverirrungen oder Manie. a. d. Franz. Wien 1801. S. 232. sqq.

solis excitando agere videtur, quam a directo lunae influxu repetendum veniet, cum seleniaci, si ab iis lunae lux sollicite arcetur, secundum experientiam celeberrimi *Esquirol*, quieti remaneant.

5. Maximum demum influxum in decursum Psychopathiarum exerunt *complicationes earum cum morbis somaticis*, quos inter et psychicos insignis viget relatio. — Morbi enim psychici reactionem cerebri in corpus minuendo, ejus quoque proclivitatem in alios morbos minuere videntur. Vesanos atque dementes, in quibus sphaerae cerebralis torpor cum nervorum splanchnicorum vigore junctus esse solet, a contagiis plerumque immunes, et a febribus intermittentibus nonnisi rarissime adfici, experientia docet. Imo et pertinacissimos morbos somaticos superveniente quodam psychico quandoque penitus eradicari, vel saltem pro tempore durationis mali psychici dissipari, disparente vero hoc cursum suum denuo continuare visum est. Non minus autem et morbi psychici quandoque ingruente quodam somatico feliciter propelluntur.

4. *Varietates et Divisio.*

§. 16. Quemadmodum vires et facultates somaticae, ita et psychicae vel qualitativa vel quantitativa ratione a recto normae tramite recedunt. — Respectu vigoris facultates animae vel omnes vel singulae mox tanta incedunt exorbitantia, mox vero languore, ut conscientia sui ipsius et liber voluntatis usus deleatur. Quoad indolem vero vires psychicae vel prava directione, vel sublato inter singulas concentu harmonico, turbataque eorum mutua proportione peccant. Etiamsi quidem haec qualitativa animae alienatio, haud obtingere possit, quin simul quantitas aberret, nihilominus tamen haec quantitatis aberratio nonnunquam adeo inconstans, adeoque exigua est, ut inde character morbi, natura, formaque sufficienter explicari et determinari nequeat; qualitatem seu directionem tunc alienatam dicimus.

§. 17. Hae principales facultatum psychicarum deviationes tutissimam insimul, ac summe rationalem pro coordinan-

dis aegritudinibus psychicis praebent cardinem, cui innixi tres statuimus Psychopathiarum ordines, *Hyperdynamias* utpote *psychicas*, *Adynamias* et *Pseudopathias psychicas*; — quorum quivis non solum essentialem status pathologici conditionem designat, sed etiam generalem jam medendi rationem indicat. — Quatenus vero jam nunc mens, nunc vero animus eminenter adfectus videtur, singulum ordinem in duas dispescimus prosapias, quorum prima passiones mentis, secunda vero illas animi complectitur. Singulae demum facultates et functiones tam mentis, quam animi, ulteriorem juxta hoc principium admittunt subdivisionem, nempe Mentis facultates: Intuitio, Phantasia et Judicium; animi facultates: Sensatio, Inclinatio et Voluntas; et quaevis quoad plus vel minus, vel quoad qualitatem alienatam.

§. 18. Ordo primus: ***Hyperdynamiae psychicae***, complectitur animae facultatum vel omnium vel singularum exorbitantias, quibuscum et corporis status in consortium morbosum, plerumque simile, raro contrarium trahitur. Exorbitant vero vel:

I. Facultates Mentis: ***Hypernoea;*** et inter has praeprimis: Facultas imaginandi: *Hyperphantasia;* cujus habito respectu gradus et directionis tres distinguuntur species:

1. *Fanatismus;* qui, qro vario phantasiae objecto et directione, diversas exhibet varietates, ut: F. religiosus; F. politicus; F. bellicus; F. litterarius; F. personalis etc.
2. *Enthusiasmus* ejusque varietates: E. mysticus; E. propheticus; E. poëticus; E. eroticus; E. patrioticus etc.
3. *Ecstasis* cum suis varietatibus: E. enthusiastica; E. philomatica et E. pathetica.

II. vel vero Voluntas excedit: ***Agryothymia, Mania;*** impetuoso nisu actiones inconcinnas patrandi insignita. Rarissime sola voluntas adfecta est, sed vix non semper ob intimum, quo mens atque animus junguntur, nexum etiam mens hoc in casu est vitiata, et quidem frequentissime exorbitantia, rarius languore vel prava directione peccans; habentur exinde Maniae varietates:

1. *Mania enthusiastica, phantastica*, seu M. cum exaltata imaginatione.
2. *M. brutalis*, cum defectu judicii et ratiocinii.
3. *M. pathetica*, in gratiam animi pathematum.
4. *M. cacophantastica*, cum erronea repraesentatione.
5. *Moria*, seu voluntatis exorbitantia cum pravo judicio.
6. Demum *Mania simplex*, sine delirio, ubi sola voluntas est exaltata, quin mens notabiliter sit adfecta. —

§. 19. In secundo ordine: *Adynamiis psychicis* offendimus:

I. Mentis facultates languentes: *Anoia*; quae vel omnes vel singulae tantum adfectae sunt, ita, ut conscientia sui ipsius et liber voluntatis usus deleatur. Notantur Anoiae species.

1. *Hebetudo*; ubi distinctio objectorum, repraesentatio, imaginatio, proin memoria et reminiscentia, hinc judicandi et ratiocinandi facultas languet.
2. *Fatuitas*; ubi distinctio et raepraesentatio utcunque bona, sed repraesentatio quaevis cito exstinguitur, hinc reminiscentia, memoria et imaginatio languent.
3. *Imbecillitas*; languor facultatum mentis cum peculiari timiditate, bonitate animi actionibusque insulsis junctus.
4. *Stupiditas*; sensuum torpor cum motuum inertia, loquela imperfecta, mutila.
5. *Amnesia* seu debilitas memoriae, modo ad omnia, modo solum ad determinata objecta restricta.
6. Demum *Idiotismus* seu maximus Amentiae gradus, ubi humanitatis vestigia fere nulla adsunt, qui, si ex climate originem ducit, *Cretinismus* dicitur; habentur ejus duo gradus; levior: C. brutalis; major: C. automaticus.

II. Mox vero animus torpet: *Abulia*, ita, ut nullae ponantur liberae actiones; qui animi status nunc a languore facultatum mentalium, nunc vero a fixa quadam idea originem trahit.

§. 20. Tertius demum ordo: *Pseudopathiae psychicae*, comprehendit:

I. **Hallucinationes mentis:** ***Paranoia***, **ubi facultates mentales adeo deflectunt, ut relatio inter ens cogitans, s. animam, et rem cogitatam suffertur. Quatenus vero mentis alienatio primario vel in perversa intuitione vel pravo judicio se insinuat, duae exsurgunt species:**

1. ***Parablepsis***, **seu illa aberratio, ubi aegri objecta, quae vel non sunt, vel aliter, quam reapse existunt, sensibus sibi percipere videntur. Prout nunc imaginatio vel circa omnia abludit objecta, vel vero uno solum detinetur, habentur exinde**

a) ***Cacophantasia planetes s. Polyblepsia;*** **et**

b) ***Monophantasia***, **in qua objectum perversae imaginationis est vel ipsum individuum:**

α. ***Monophantasia chimaerea;*** **quopertinent: Gynanthropia, Zoanthropia, et altior Hypochondriae gradus; vel vero**

β. **res extra illud positae:** ***Monophantasia epiphania s. Phantasmoscopia***, **cujus varietates sistunt: Daemonomania; Theomania religiosa; Th. enthusiastica; Th. catacrisiophobica; Th. martyrica.**

2. Aliam tribum hallucinationum mentalium constituit pravum judicium: ***Paraphronesis, Dessipientia***; **cujus duo sunt gradus:**

a) **levior:** ***Eletheria***, **per stoliditatem et nugas pueriles sese manifestans,**

b) **altior gradus:** ***Moria, Stultitia***; **inconstantia repraesentationum, et imaginationis, absurdaque comparatione ac junctione idearum notata; unde pravum judicium, continua negotiositas, et actiones inconsequentes, ridiculae.**

II. **Alienationes qualitativas Animi:** ***Parathymia*** **seu:** ***Thymoplania***; **cujus, prout ex animi pathematibus vel vero ex prava inclinatione vel aversatione originem ducit, duae distinguuntur species:**

1. ***Parathymia pathetica, s. passiva, Melancholia***; **quae metu et alto moerore notata, ab animi pathematibus causata, delirium sistit afebrile, uni cogitationi infixum, cum consternatione animi tali, ut liberum voluntatis exercitium suf-**

feratur; pro varia pathematis producentis indole fluunt inde variae formae:

a) ***Erothymia***; seu Melancholia ex amore frustrato orta, et quidem vel cum spe objectum amatum consequendi: E. enthusiastica; vel sine spe: E. tristis.

b) ***Misothymia***; ubi odium causam constituit, nunc in se ipsum et propriam existentiam conversum: Misautia. s. Misopsychia; Spleen, Melancholia anglica; vel in alios directum: Misanthropia, modo ad totum genus humanum, alias solum ad singulas gentes, nationes, sexum, aut homines earundem artium et opificiorum extensum.

c) ***Phobothymia***; quae consistit in nimio metu absque vel non sufficiente causa concitato; voluntatis et rationis libertate inde sublata ad actiones perversas impellente. Praecipuae ejus formae sunt: ***Thanatophobia*** s. timor mortis; ***Limophobia***, timor mortis ex inaedia, ob pauperatem; — ***Catacrisiophobia***, metus poenae aeternae ob crimina; — ***Bascanophobia***, metus futurorum ex magia contingentium; et ***Pantophobia***, s. metus omnium.

d) ***Lypothymia***; s. immersio animi in passionem aliquam, qua voluntas posternitur ita, ut ab hac ingrata sensatione se liberare nequeat; — peculiaris ejus forma est: ***Nostalgia*** s. nimium desiderium ad patriam suosque revertendi, altusque moeror ex denegato reditu.

2. ***Parathymia activa s. Parormesis***; quae ex prava inclinatione aut aversatione orta, exorbitantiam animi includit. Distinguuntur Parormeses secundum instinctus et cupidines, ex quibus ortum ducunt:

a) *Parormeses animales*, ubi instinctus soterii, conservationem individui et speciei spectantes aberrant; ut:

α) *Opsomania* s. insatiabilis cupido comedendi:

β) *Methomania* s. insana cupido spirituosorum;

γ) *Oestromania* s. effrenata libido veneris;

δ) *Autocheiria* s. propensio ad suicidium;

ε) *Phonomania* s. cupido alios homines trucidandi.

b. Parormeses animales, ubi sic dicti instinctus practici seu desiderium distractionis respicientes, ut instinctus motus, negotiositatis et socialitatis, peccant; ut:

α. *Rhembasmus* s. continuus et perversus stimulus ad motum.

β. *Polyphragmosine* s. irrequieta negotiositas, sine fine et ordine, modis confusis et absurdibus se exerens.

γ. *Phileremia* s. nisus in solitudinem tantus, ut omnis societas taedium pariat.

c. Parormeses humanae, ubi instinctus humani morales, qui ab animo determinantur, uti cupido libertatis, honoris, vanitatis, opum et dominii a norma recedunt; demum

d. Parormeses humanae, ubi instinctus humani aesthetici a mente cogitante determinati, uti cupido discendi, meditandi, poëseos, musices, plastices etc. abludunt.

Aetiologia.

§. 21. Prout omnes morbi somatici, ita et morbi Psyches duplex pro origine agnoscunt momentum, unum nempe *disponens* et alterum *excitans*.

§. 22. Inter *momenta disponentia* excellunt imprimis:

1. *Haereditas;* — Videmus non tantum formas externas parentum ad proles propagari, sed etiam temperamentum, inclinationes, idiosyncrasias, imo et varias perfectiones et dotes morales per generationes ultro transplantari, quid mirum itaque, si et imperfectiones generantis aeque infunduntur proli? Pariter et parentum peccata non raro innocentes luunt proles, ta parens ebrius et venere exhaustus stupidam ac stultam fere semper procreat prolem.

§. 23. 2. *Temperamentum;* et quidem per eminentiam cholericum *) et melancholicum ad morbos animae disponunt; in

*) Jam *Hippocrates* constitutionem atrabiliarem Psychopathiis imprimis favere statuit; et celeb. *Haslam* inter 265 Vesanos 205 cum habitu cholericorum externo invenit.

utroque enim receptivitas validissima adparet, in priori cum simili, in posteriori vero cum inerti reagendi vi consociata, unde hoc in animi passiones tristes deprimentes, illud vero in contrarias proclivitatem fovet.

§. 24. 3. *Clima.* — Secundum coelorum discrimina praeter physicas corporis perfectiones et imperfectiones, multas tum mentis, tum morum varietates adolescere, nemini ignotum est.— Rectissime idcirco scripsit *Hippocrates:* „Sapientiam cerebro, si sanum fuerit, exhibet aër.“ — Singularem ac bene promeritam Psyches respectu nequitiae famam sibi comparavit aër frigidus, crassus, nebulosus, cui ingenia hebetiora, tarda et retusa correspondere solent; quare Baeoti jam antiquitus male audiebant:

„Baeotum in crasso jurares aëre natum;“

inde frequentissimae in Anglia Psychopathiae (Spleen) et in depressis, angustisque Carinthiae, Tyrolis et Tatariae vallibus amentia quasi endemica, (Cretinismus).

§. 25. *Vitae genus.* — Quantum hoc ad statum hominis tum somaticum, tum psychicum determinandum valeat, optime nos edocet et corporis constitutio, et animi simplicitas ac firmitas, majorque a cunctis morbis immunitas agricolarum et rudium Africae et Americae gentium. — Vita vero mollis, otiosa, effeminata, effrenis voluptatum, vitaeque deliciarum cupido, earumque ad taedium usque ingurgitatio, opulentia, intemperantia, in urbium populatarum solo laetis germinibus luxuriantia; — alias vero negotiorum moles et atrae curae, inconsiderate inita conjugia, rerum ad vitam necessariarum penuria, earum incolas praecipiti pede ultimae desperationis vortici impingunt, ubi exhaustis corporis et animi viribus, et a remordentis conscientiae furiis exagitati, demum in morotrophium ruunt, vel in morte tristissima solatium quaerunt. —

Nec minorem in generandis Psychopathiis potestatem sibi vindicant variae artes atque opificia, partim ob summam facultatum mentalium adstrictionem eorum exercitio necessario junctam, partim vero propter diversos vix evitandos nocivos influxus externos. Sic pictores atque poëtae vivida ac luxuriante

Phantasia haud raro in Ecstasim, aliasque Hyperphantasiae formas abripiuntur. Textores atque tibialium fabricatores secundum observata clariss. *Ramazzini* *) in Melancholiam atque nefandum Autocheiriae scelus disponuntur, et ab antiquitus jam notum, Hypochondriam, Fanatismum atque Theosophiam dictis opificibus esse proprias; vita in his artis speciebus potissimum sedentaria, opificii genus summe monotonum, citra omnem alternationem animum exhilarantem spiritui vix ullum concilians pabulum, demum omne iis recentissimis temporibus per neodetectas machinas, atque commercii stagnationes ubique locorum politas, lucrum ademptum, ceu totidem causae vitiorum mentis supra adlatorum considerari merentur. Montanistae quoque frequentissime morbis psychicis laborare cernuntur; eorum enim, omnium vitae amoenitatum expers, atque ab omni hominum consortio remotum vivendi genus, tum discriminis plena in rupibus atque montium vallibus commoratio, eos in Melancholiam atque Hypochondriam plus quam proclives reddit. — Denique observare hactenus licuit, coloratores Indigo tractantes plerumque tristes, animoque dejectos; eos vero, qui Cocco (Cochenill) et Nitrate Zinci utuntur, potius hilares semperque insolito modo jucundos esse **).

§. 26. 5. *Aetas.* — Praecipue illa Psychopathiis gignendis apta est, qua facultates mentis et animi magis jam sunt evolutae, receptivitasque major ac constantior; — in pueris hae facultates imbecilliores sunt jam in statu normali,

„Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis.“

Lucretius de Nat. rerum.

Pariter et in senectute provecta, ubi homo ad pristinum revertitur infantiae gradum, et facultates psychicae denuo hebescunt, earum imbecillitas, ad statum magis physiologicum pertinet,

---

*) Von den Krankheiten der Künstler und Handwerker, I. Theil. Stendali 1780. S. 196.

**) *Rush*, Seelenkrankheiten, Leipzig 1825 p. 189.

„Post ubi jam validis quassatum est viribus aevi
Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt."

Idem (L. III. v. 458. sqq.)

Singularis prorsus et praecipua dispositio in Animae morbos imprimis pubertatis periodo exoritur; Animus nunc exaltatus, tranquillitatis indifferentiam respuens, infideli spe saepe saepiusque frustratus, repentinas jactationes et adfectuum experitur turbas; phantasia luxuriante in sublimiores elatus sphaeras, ac rationis imperio evulsus non raro in Ecstasim, Fanatismum, Melancholiamque religiosam abripitur. — Maximi vero momenti habendus influxus evigilantis nunc instinctus sexualis, de quo egregie loquitur *Friedreich* *): Von wichtiger psychischer Bedeutung ist der in der Pubertätsperiode erwachende Geschlechtstrieb. Jüngling und Jungfrau, die sich als Knabe und Mädchen so fremd waren, treten unter geheimnissvollem Sehnen zusammen, um vereint zu einem schönen Ganzen, auf dem Altare der ewig schaffenden Natur auch ihr Opfer für die Erhaltung des Menschengeschlechtes darzubringen, und so ihrer edlen Lebensbestimmung zu dienen. Hier ist es, wo die Natur ihre ersten Anforderungen an das Menschengeschlecht macht, die sie durch den neu erwachenden Trieb nur zu klar beurkundet. Mit mächtiger Hand greift dieser in die Saiten des Lebens ein, und sind Griff und Saiten geregelt, so tönt der schöne harmonische Einklang der Gatten- und Kinderliebe hell und froh durchs Leben hin. Aber auch nur zu oft hören wir Misstöne, und die Natur rächt sich fürchterlich an jenen, die den neu erwachten Trieb mit frevelnder Hand zu ersticken suchen, oder ihm in ausgelassenem Sinnestaumel fröhnen. Sowohl Missbrauch des Geschlechtstriebes, als auch dessen gänzliche Nichtbeachtung — beide werden fruchtbare Quellen von Seelenstörungen. —

*) Allgem. Diagnostik d. psych. Krankheiten. Würzburg 1829. p. 142.

Caeterum et reliquae evolutiones physiologicae, ut ingressus et cessatio menstruationis, proruptio dentium sapientiae *), graviditas, puerperium, lactatio etc. non raro ad genesim psychopathiarum haud praetervidendam conferunt symbolam.

§. 27. 6. *Sensibilitas moralis excedens*, nimia scrupulositas, impotentia animum moderandi propensioque in effrenatos animi affectus morbis psychicis evolvendis imprimis favent.

§. 28. 7. *Nimia facultatum mentalium intentio*, studium protractum, imprimis rerum et idearum abstractarum, meditatio objectorum divinorum irrequieta, scrutatio transcedentalium, in unam eandemque semper cogitationum seriem conversa adtentio mortalem ad summam sapientiam adnitentum ad imum saepe deprimunt. —

§. 29. 8. *Prava demum educatio moralis* etiam dotibus et facultatibus Animae perversam conciliat directionem; pariter unilateralis solum, vel plane neglecta, ubi ratione inculta sensuum mollities hominem mox seducit, imaginationis luxuria abripit, animi turbae circumagitant.

§. 30. *Causae excitantes* ipsa momenta disponentia evadere possunt, dummodo majori vehementiae gradu longiorique tempore in organismum humanum influant. Sunt vero aliae, quae in corpus agunt: *Materiales*, et quidem morbum psychicum *immediate* aut *mediate* producentes; aliae demum, quae in animum vim suam exerunt, *immateriales seu dynamicae* dictae.

§. 31. Ad *Causas materiales immediatas* referuntur:

1. *Usus nimius spirituosorum*, vini, cremati, liquorum ustorum et cerevisiae, imprimis plantis narcoticis adulteratae; jam vel ipsa cupido potandi est morbus: Methomania. — Pariter *Abusus Narcoticorum*: Opii, Belladonnae, Stramonii, Nucis vomicae **). Oriuntur ex hoc fonte continuae capitis conge-

---

*) *Burrows* (Commentare p. 114.)

**) Vinum jucunda et jocosa, Crematum pathetica, Opium placida provocat deliria; Belladonna visus hallucinationes, stramonium saltandi excitat cupidinem. (*Neumann*, Krankheiten des Gehirnes p. 173.)

stiones, species Angioitidis kephalicae, demum Delirium cum tremoribus, Mania potatorum.

§. 32. 2. *Veneris praematurae ac immodicae exercitium* et nefandum masturbationis vitium infensissimi vitae somaticae et psychicae sunt hostes.

„Crebra Venus nervos, animi vim, lumina, corpus
Debilitat, mollit, surripit, orbat, edit."

Exhaustio animi et corporis virium, morsus conscientiae, taedium vitae, Melancholia, Mania, demum Amentia tristes sunt sequelae, quibus natura eos severe plectit, qui hic a recto vitae tramite aberrant. — Sicut vero natura abusum vetat, ita et omnem evigilantis instinctus sexualis extinctionem minime impunem sinit; — natura etenim sua ubique jura exercet, horrende mulctat eos, qui ejus imperio sese subducere student, morbis psychicis aeque ac somaticis *).

§. 33. 3. *Calor excessivus*, praecipue radii solares versus caput nudatum directi; porro *Transfusiones sanguinis* fine virium recuperandarum, imprimis sanguine animalium ferocium institutae; et demum *protractus atque intensus usus Mercurialium,* haud raro ad genesim Psychopathiarum valida praebent momenta excitantia.

§. 34. Ad *Causas materiales, mediate* morbum psychicum producentes, numerantur:

1. *Abnormitates enkephali ejusque velamentorum*, ut mala thecae osseae conformatio, impressiones, fracturae, coalitio saturarum, nimia cranii crassities; vitia organica menyngum, ut concretiones durae matris cum cranio, collectio seri inter menynges, indurationes, ossificationes, suppurationes, callositates, excrescentiae fungosae pericranii, corporaque peregrina diversi generis; — demum vitia ipsius substantiae cerebri: proportio stoechiometrica elementorum mutata, induratio, siccitas, emollitio, suppuratio, extravasata, hydatides, excrescentiae singularum cerebri partium, desorganisa-

*) *J. Zindel*, Diss. de morbis ex castitate nimia oriundis. 1745. — *P. Frank*, System der medicin. Polizey. Bd. I. S. 410.

tiones plexuum choroideorum, glandulaeque pinealis, hypophyseos; defectus singularum partium.

§. 35. 2. *Abnormitates in systemate sanguifero;* et quidem tum sanguinis in interna sua qualitate alienationes, tum ejus aberrationes quantitativae, aut absoluto, aut relativo ad singula organa respectu, unde orgasmus, congestiones, turgor in vasis venosis cerebri, hincque species enkephalitidis lentae, chronicae; demum sanguinis sive physiologico, sive pathologico respectu excernendi, retentiones in organismo, ut Epistaxeos habitualis, Catameniorum, Haemorrhoidum, unde peculiare Melancholiae genus, singulari anxietate et diffidentia junctum, evolvi offendimus.

§. 36. 3. *Morbosae adfectiones organorum* cum cerebro in sympathia versantium et quidem:

a) Sensuum externorum abnormitates; indeque fluentes hallucinationes, falsa praebentes praemissa, animam demum ad abnormes quoque operationes seducunt.

b) Vitia cordis; mutua relatio cor inter et sphaeram psychicam vigens rationem aetiologicam morborum hujus organi in aegritudines animae sat clare evincit. Alienationes enim quaedam psychicae, uti Fanatismus, Melancholia, propensio in suicidium consuetissimi sunt cordis morborum comites (imprimis ubi pericardium cordi adcretum obvenit); et in cadaveribus vesanorum frequenter notabiles occurrunt organi dicti anomaliae, in classem vitiorum formationis primitivae spectantes; minime hinc qua sequelae, sed qua causae morborum mentalium considerandae.

c) Anomaliae organorum respirationis, unde *Celsus* jam: „post lateris dolorem vitia pulmonum, post haec insania." — Notatu digna quoque est sententia *Camperi* (Diss. II. p. 729.) de causa Melancholiae prolata: „Melancholia non ex bile nascitur, neque bilis nigrae expulsione sanatur. Nascitur ex respiratione impedita; respiratio autem non tantum a causis permultis physicis impeditur, uti a corporis quiete, sed et a nimis profundis meditationibus, ideo docti hypochondriaci evadunt."

d) Morbi et abnormitates organorum abdominalium; im-

primis hepatis et systematis venae portarum, indeque sequens bilis secretio abnormis magnas quoque in producendis morbis psychicis partes tenent. Notum enim prisci aevi medicos omnem Melancholiae et Maniae fontem in bile abnormi quaesivisse. — Vitia porro intestinorum, ut situs eorum abnormis, coarctatio luminis, inflammationes chronicae haud raro Melancholiam nisumque in Autocheiriam pariunt; idem efficiunt vermes intestinales, morbi lienis et glandularum meseraicarum skirrhositates.

e) Turbae in systemate sexuali uberrimum alienationum mentalium largiuntur fontem, et quidem exsurgunt perturbationes mentis in gratiam morborum, vel abnormis conformationis genitalium, imprimis forma fanatismi religiosi, aut Agriothymiae et Phonomaniae incedentes; vel vero anomaliae graviditatis, partus et puerperii, ut situs foetus abnormis, partus difficilis, haemorrhagiae, convulsiones, suppressio lochiorum, galactischesis, galactometastases, morbis psychicis ansam praebent.

f) Morbi cutis et capillorum, ut suppressio functionis cutaneae, Plica polonica, Pellagra *), demum impetigines et varia exanthemata in evolutione impedita, aut retropulsa, haud raro ad genesim Psychopathiarum suam conferunt symbolam.

§. 37. 4. *Febres quoque graviores* non raro morbos psychicos subsequos habent; ita febres inflammatoriae diutius protractae, cum diuturnis ac vehementioribus deliriis junctae; porro febres nervosae, et praesertim intermittentes, quartanae, malignae, sub Convulsionum, Apoplexiae, Comatis atque Delirii schemate larvatae, saepe morbum psychicum posthumum relinquunt.

§. 38. 5. *Morbi demum nervosi* alius indolis frequenter Psychopathias pessimae indolis inducunt; praesertim Epilepsia, Hypochondria, Hysteria et demum Apoplexia.

§. 39. Ad *causas immateriales seu dynamicas* numerantur:

*) *Hildenbrand*, Annales scholae clin. Ticin. Papiae 1826. I. p. 102. *Nebe*, de psychica dignitate cutis, Bonn. 1823.

1. *Nimia et protracta intentio imaginationis*, scrutinium rerum transcendentalium et abstractarum. (*Tasso, Linnée, Leibnitz, Plato.*)

§. 40. 2. *Prava directio mentis*, debita educatione non conducta; lectio librorum, quos mens sua non potest assequi capacitate; tum et aliorum, imprimis vero lectitatio fabularum romanensium, quae solam phantasiam excitando, ejusdem spasticam tensionem conservantes, reliquas mentis functiones opprimunt, et caput spurcis illis, quibus utplurimum onerantur, spectris gravare solent. — Prae omnibus vero Absurda, imprimis iconice visui obvia *), ingentem in Phantasiae pravam directionem exerunt vim; et quisque certe jam in se ipso expertus est, quanta constantia ac tenacitate tales imprimis aetate infantili expertae impressiones memoriae adhaereant, et seriori imo aetate meditationibus quietis involuntarie intrudantur.

§. 41. 3. *Principia religionis falsa aut nulla*, superstitio, minae confessorum, imitationis nisus invincibilis debiliora ingenia frequenter in Amentiam vel Fanatismum abripiunt. — Maximus certe religionis est influxus in morbos psychicos, quae quamvis fundamentum virtutis, pravis tamen innixa principiis, hominem in sceleris, phantasiae, brutalitatis abyssum, in morotrophium denique praecipitat.

§. 42. 4. *Animi pathemata non domata*, ut amor, imprimis si frustra lacessit, odium, ira, egoismus, superbia, zelotypia, terror, ambitio, fortunae et honoris jactura, metus ignominiae aut castigationis a tergo minitantis, nostalgia, defectus libertatis, per nimiam, quam sustentant vitae intentionem, et animi et corporis valetudinem subvertunt.

---

*) Dummes Zeug kann man viel reden,
Kann es auch schreiben,
Wird weder Leib noch Seele tödten,
Es wird alles beim Alten bleiben.
Dummes aber vor's Auge gestellt,
Hat ein magisches Recht;
Weil es die Sinne gefesselt hält,
Bleibt der Geist ein Knecht.

(*Gothe.*)

§. 43. 5. *Contagium psychicum* ad leges imitationis revocandum; ita conversatio cum hominibus stultis, habitatio in Morotrophiis; inde proverbium: „Ein Narr macht zehn Andere."

§. 44. 6. *Demum influxus nonnulli externi* magnam quoque vim habent in producendis morbis psychicis; et quidem:

a) Anni tempus; *Hippocratis* (Aphor. III. 20.) enim jam, *Aretaei* et *Celsi* antiqua docuit observatio, aestate imprimis furorem, autumno vero Melancholiam frequenter erumpere, — imprimis vero ominosa se exerunt tempora aequinoctiorum.

b) Aër, humidus, principio electrico carens, gas acidocarbonico dives.

c) Nimius aestus; sub Syrio enim ardore et animus maxime effervescit; unde etiam pleraeque rerum publicarum revolutiones summa aestate contigerunt. (Erstürmung und Zerstörung der Bastille, Julius-Revolution.)

Nosogenia.

§. 45. Modus originis Psychopathiarum summe obscurus est vel ex eo rationum momento, quod ipsum illud, quod patitur, mens nempe cogitans et animus volens, in essentia sui intima hactenus haud sufficienter revelatum atque elucubratum existat. — Materialistae in corpore, Spiritualistae in anima causam proximam unice quaerebant; maxime tamen consentaneum videtur, neutri harum sententiarum aut rectius hypothesium ceu unilaterali adhaerere, verum utramque potius unire. — Quemadmodum enim omnis vis nonnisi materiae adstricta existere, suamque activitatem nullatenus ex se sola, sed tantum in materia et per hanc exerere potest, ita etiam vis vitalis, ejusque ad summam et perfectissimam potentiam evecta activitas, facultates nempe psychicae, seu anima a materia sejuncta cogitari haud potest. Unde etiam incomparabilis *Gaubius* *) jam dicit: „Anima et corpus, res plurimorum judiciis natura dissimillimae, quando in unum coëunt hominem, nexu

*) De regimine mentis quod medicorum est. Lugd. Batav. 1767 p. 2.

tam arcto intimoque sociantur, ut se invicem penetrasse, et, si chemicorum more hic loqui licet, se mutuo velut solvisse diceres." Cum proin corpus et anima in sanitatis statu in tam arcto et indissolubili versentur nexu, ita etiam nec alienatio animae a norma existere potest absque alteratione corporis, quamvis haec nonnunquam sensus nostros effugiat.

§. 46. Processus vero vitalis (somaticus et psychicus), sicuti quilibet alius naturae processus, in lucem emergere non potest, nisi ex conflictu duorum principiorum sibi invicem oppositorum, mutuo se petentium. Ubicunque vero in rerum natura oppositio virium offenditur, ibi etiam materierum oppositio adesse debet, et vice versa; ut igitur ad omnem et singulum processum dynamicum non tantum dynamici, sed et materiales concurrant factores; qui factores in homine materiali obtutu expressi sunt per sanguinem et medullam cerebralem. — Hominis itaque vita humana superstruitur alternanti sanguinis et cerebri actioni mutuae; et harmonico binae hujus activitatis concentui ejus sanitas relativa (somatica et psychica). Disharmonia sanguinem inter ac enkephalon intercedens (abnormis cerebri vita plastica) ponit morbum psychicum, in cujus sequelam homo vigil aut aequum cogitare impeditur, aut vero falsum ratiocinium ferre absoluta cogitur necessitudine. — Criterion valetudinis psychicae constituit conscientia sui ipsius et rerum extra eum positarum, seu rectum judicium de se ipso et mundo eum circumambiente latum, quod simul liberam determinat voluntatem, seu autonomam spontaneitatem; falsum igitur judicium de se ipso ut subjecto et rebus mundanis ut objecto (turbata conscientia) et sublata exinde voluntatis libertas, naturam seu essentiam constituunt Psychopathiarum, causam vero proximam abnormis cerebri vita plastica; substratum ideale anima, nempe facultates mentis et animi; materiale, cerebrum ceu organon, cujus ope anima operationes suas consummat, quodve pro speciali animae sede habetur. —

Terminationes.

§. 47. Quamvis Psychopathiae reliquis morbis humanis pristinae sanitatis restitutionem aegrius admittant, tamen *exitum in salutem*, sub aptis artis medicae auxiliis, faventibus circumstantiis externis, et salubribus naturae adjumentis non semper excludunt. — Quod vero morbi psychici eadem ratione ac somatici crisibus, i. e. manifestis signis et mutationibus salutem mediantibus, decidantur, extra dubitationis aleam positum est; quin sine his nec sanatio certa, imo recidiva timenda.

§. 48. Crises Psychopathiarum duplici obtingunt via, *psychica* videlicet vel *somatica* sphaera organismi.

Et quidem *via somatica* quandoque judicatur morbus psychicus *praedominio systematis lymphatici;* malum eodem minuitur gradu, quo aegri pinguescunt *); alias vero nonnisi horrida macie confecti, et Acherontis limini jam proximi ad novam animi et corporis salutem redeunt. — *Per haemorrhagias*, uti epistaxi spontanea, fluxu haemorrhoidali aut menstruo copioso imprimis tunc judicantur, si ex eorum suppressione traxerunt originem; unde *Hippocrates:* (Aphor. XI. 6.) „Melancholicis haemorrhoides supervenientes bonum;“ — et (Aphor. XXI. 6.) „Insanientibus si varices aut haemorrhoides supervenerint, insania solvitur.“ — *Transpiratione cutis adaucta* crises morborum psychicorum pariter contingere posse, eo minus absonum videtur, cum pertinax ac in omnibus Psychopathiarum formis constans ariditas cutis, functionem hujus organi laesam, cum hujus ordinis morbis in causali nexu versari abunde testetur. — *Efflorescentiae cutaneae*, ut Herpes, Scabies, Urticaria, ceu criseos faustae comites pariter haud raro observatae fuere. — Per *febrim intermittentem et nervosam* morbos psychicos feliciter judicari, antiqua jam *Galeni* docuit experientia, recentior *Esquiroli* (Journ. gen. de Med. p. *Sedillot*. 1814.) et *Perfecti* (Annalen p. 176.) comprobavit. — Pariter *Furunculi*, *Abscessus* et

---

*) *Haslam*, Beobachtungen über den Wahnsinn. S. 79.

Ulcera, praesertim si eorum praematura coalitio causa fuerit morbi psychici, et si larga incedant suppuratione, sanationis momenta evadere possunt. (*Pinel.* S. 297.) — *Diarrhoea et Vomitu* materiae mucosae nigrae Melancholiam feliciter judicari observationes *Hippocratis*, *Lorry* et *Pineli* evicerunt; per *Vermium secessum Van Swietenii* et *Esquiroli* experientia. (Journ. gen. de Med. 1802.) *Pinel* demum Melancholiam per *Icterum* decisam observavit. (l. c. pag. 299.)

§. 49. *Via psychica* quandoque morbi animae *alter per alterum* dijudicantur; sic Amentia per Furorem, Mania per Melancholiam, et vice versa;—*per affectiones morales*, ut gaudium improvisum, fortunam insperatam; prout et *vehementes animi commotiones*, ut terrorem, indignationem, iram, morbi psychici feliciter quandoque propulsantur.

§. 50. Omnis crisis *phaenomenis quibusdam praecursoriis* se insinuare solet, quae inter crisim subventuram, faustam divinare sinunt, sequentia notantur: sensibilitas erga dolores redit; cupidines et instinctus naturales reviviscunt; adrident res quondam gratae; arida cutis mollescit; alvus muneribus suis respondet; vultus et oculi animi hilaritatem et serenitatem spirant; evigilat reminiscentia praeteritorum, et desiderium occupationum pristinarum, propensio in tenerrimos gratitudinis affectus; amor rediens erga personas antea amatas, metus futuri insultus, magna animi desponsio et timiditas tempore remissionis, unde jam *Aretaeus* (de causis et signis diuturn. morb. L. I. C. VI.) adnotavit: „quodsi morbus remittere jam incipiat, segnes, quieti, moesti fiunt, quia jam in notitiam mali venientes calamitate sua affliguntur.“

§. 51. Prout vero salus summe difficulter succedit, ita et duratio ejus summe incerta est; — morbi symptomatibus enim omni ex parte dissipatis, favilla tamen mali non raro remanet, quae clandestine gliscens improvisam parat mali eruptionem, dum radicalis jam sanationis spe oblectamur. — Experientia enim, proh dolor! docuit, nullos organismi humani morbos in recidivas adeo proclives esse, quam psychicos, ob dispositionem videlicet altius haerentem, causas excitantes innumerabi-

liores, crises minus perfectas, minoremque cautelam, quam aegri in evitatione causarum excitantium adhibent. — Constat hoc respectu: *a)* Recidivas inter pauperes et incultos multo frequentiores occurrere, quam apud altius natos et cultos, ob voluntatem in evitandis noxis minus firmam, egestatem et subsidiorum penuriam, quibus egeni premuntur. — *b)* Causae, quae morbum psychicum primario excitarunt, plerumque et recidivas revocant; pariter et eodem tempore, quo primo apparuerunt vesaniae, lubenter redeunt; mali semper ominis sunt tempora aequinoctii tum vernalis tum autumnalis, nimii caloris, intensiorisque frigoris; facillime vero et frequentissime Psychopathiae resuscitantur, si brevi post sanationem cum objectis vel subjectis in contactum venerit aeger, quae memoriam status illius insani revocare possunt. — *c)* Signa, quae regressum mali psychici praenuntiant, sequentia notantur: Constrictiones in regione ventriculi, cardialgia, aversatio ciborum, polydipsia, animi commotiones, somnus inquietus, visionibus et terriculamentis turbatus, vultus alienatus, caput calens, oculi rubri, scintillantes; modo jovialitas et garrulitas insolita, modo vero taciturnitas, tristitia et pronitas in lacrymas.

§. 51. *In mortem* Psychopathiae directe non terminantur; vita enim psychica ad imum delapsa, somatica optime vigere potest; sequitur vero mors in morbis psychicis indirecto modo: *a)* ex sufflamminata vita cerebri; ut inde et reliquae functiones aboliantur. *b)* per vitiatum processum plasticum; mors colliquativa ex tabe, scorbuto; *c)* per infortunium aliquod improvisum; *d)* per suicidium; *e)* ex inaedia; *f.)* intercedentibus aliis morbis secundariis ex eorum causa aut effectu inductis, uti tabem, decubitum etc. Moriuntur autem infelices morte morali, civili, quatenus nempe pro societate humana inepti evadant; ita in Cretinismo homo omni fere hominis dignitate exutus nonnisi plantae adinstar vegetat; functiones enim tantum vitae conservatricis et propagativae vigent, ast functiones vitae animalis, sensus nempe et motus summopere torpent, vita psychica penitus silet.

§. 53. *In alios denique transeunt morbos* Psychopathiae, et quidem vel in alias formas morborum psychicorum, ita Mania transit in Melancholiam, Cacophantasiam chaoticam, vel utplurimum Amentiam; per frequentes enim et impetuosas sub paroxysmis capitis congestiones, demum exsudata exoriuntur, quae cerebrum premendo aegrum stupidum faciunt. Vice versa Anoia etiam, raro quidem, fast austo plerumque omine in Maniam abit. Terminantur quoque in morbos somaticos, praecipue Nevroses et Cachexias.

Prognosis.

§. 54. Prognosis seu praesagium de futuro morbi eventu, arduum et lubricum semper in Psychopathiis sistit argumentum; prosperrima enim signa persaepe fallunt et decipiunt, dum e contra desperatissimi casus improvise in plenariam transeant sanitatem. Sequentes tamen canones prognostici e fidelibus et castis egregiorum Psychiatrorum observationibus deprompti, in vaticinanda aegrorum sorte, summum merentur respectum:

§. 55. Quo junior fuerit aeger, eo major et sanationis erit spes; faustissima hoc respectu notatur aetas intra 20^{um} et 30^{um} annum; — inde *Hippocrates* jam (Aphor. VII. 82.) aegros quadragesimum transgressos annum plerumque insanabiles declaravit. — Sexus sequior, prout universim proclivior in Animae morbos esse videtur, ita etiam et faciliorem admittit sanitatis restitutionem; cum notabiles illae revolutiones physiologicae, quibus organismus femininus sub menstruatione, graviditate et partu obnoxius est, haud raro valida sanationis momenta evaŭunt. — Homines culti facilius sanantur prae incultis; — Cholerici, Melancholici, in iram, zelotypiam proclives, etiamsi sanati, recidivas frequenter patiuntur.

§. 56. Quo recentior fuerit morbus, eo facilius et cura succedit; inveterati morbi psychici difficulter vel nullatenus sanantur; cerebrum enim magis magisque desorganisatur, et malum in materia quasi figitur. Secundum experientiam celeb. *Esquirol* plurimae sanationes primis duobus annis contingunt,

elapso tertio probabilitas sanationis se habet ut 1 : 30. — Porro et tempus, quo aeger tractamini medico tradebatur, plurimum huc contribuit, quo ocyus enim suppetiae adferuntur medicae, eo citius sequitur salus. — Quoad caracterem morbi universim constat: Hyperdynamias laetiorem admittere prognosim, quam Apathias et Pseudopathias psychicas; — pessimi autem moris Melancholia et Amentia esse consuescunt ob receptivitatem et activitatem psyches fere exstinctam. — Morbi Animae, qui illusionibus sensuum sustinentur, aeque difficulter tolluntur, ac illi, qui in fixis aegrisque gratis ideis fundantur, quas avide amplectentes solicite celant et deserere timent. Sic *Horatius* (Epist. L. II. 2.) de nobili quodam Argivo narrat:

„Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus,
Expulit Elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol! me occidistis amici,
Non servastis, ait; cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus eror.“ —

Quoad originem Psychopathiae ab influxibus physicis exortae faustiorem universim divinare sinunt prognosim, quam quae a causis psychicis, vel ex haereditaria dispositione ortum ducunt. Hinc morbi psychici e superstitiosis religionis principiis, superbia, ambitione, bonorum honorisque jactura, et consuetudine prava fluentes difficillime sanantur. — Quodsi morbus psychicus in alio somatico radicatur, spes restitutionis a sanabilitate hujus dependet; hinc morbi vitiis organicis cranii arte non amovendis, defectibus et desorganisationibus cerebri stipati plane insanabiles sunt. — Psychopathiae vero in sequelam suppressionis fluxuum habitualium, impetiginum et exanthematum retropulsorum, aut helcomatum praemature coalitorum, revertentibus hisce, artis et naturae anxilio plerumque cedunt. — Feminae in sequelam puerperii maniacae facilius reconvalescunt, radicaliter tamen sanatae dici nequeunt, quousque primus catameniorum non adparuerit fluxus; haud raro subintrante recenti graviditate sponte sanantur.

§. 57. Quoad complicationes notandum: prognosim gene-

ratim tristiorem evadere, si morbo psychico hyperdynamico alius adynamicae indolis adsociatur. — Si contrarium accidit, major adridet spes. — Febres, Exanthemata, Ulcera, Haemorrhagiae, Vulnera sub decursu Psychopathiarum accedentia, harum sanationem saepe promovent; et effatum Willisii: „Interdum febris quosdam stupidos ac stultos acutiores reddidit," experientia comprobatur. — Pessimum vero omen portendunt, imo funesti exitus metu terrent, complicationes Catalepseos, Paralyseos, Convulsionum, Epilepsiae, Variolarum, Scorbuti.

§. 58. Quod vero sanationis durationem adtinet, hanc permanentem futuram nunquam cum certitudine praedivinare, sed nonnisi cum probabilitate quadam et conjectura e sequentibus desumere licet momentis: si nulla adhaereat dispositio haereditaria; si morbi symptomata prouti comparuerunt, ita et successive disparuerint; si cum cessatione morbi symptomatum, status aegri pristinus normalis omnibus numeris absolutus rediverit; si inde a tempore sanationis, per longius temporis intervallum, nulla in recidivam propensio se manifestaverit; si pauciores causae mentales, quam materiales arte tamen amovendae fuerint in culpa; si nullum adsit suspicium vitii organici; si morbus psychicus in sequelam evolutionis physiologicae comparuerit; et demum si indivuum bene fuerit constitutum, facultatibus intellectualibus firmis et ratione bene culta praeditum. — Quae tamen momenta non singillatim, sed nonnisi junctim considerata, faciunt ad probabilitatem de duratione sanitatis decidendam.

Therapia.

§. 59. Harmonicum concentum inter facultates mentis et animi conservandi, turbatum vero restituendi principes indicationis curativae sunt cardines. — Absolvitur prior *Cura prophylactica*, secunda *Jatrike* tum jamatologica tum acologica; quibus demum *Diaetetike* et *Nomothetike* subjungendae, quarum prior apto influxuum externorum regimini prospicit, altera vero remedia exhibet securitatem individui et bonorum illi adpertinentium, quam et aliorum hominum spectantia.

A. Prophylaxis.

§. 60. Etiamsi qualitas individui psychica ipsa jam generatione definiatur, hincque nulla absoluta dari possit prophylaxis; debita tamen conductione cultura et intentione hujus qualitatis per educationem ad praecautionem morborum psychicorum plurimun. contribui posse, extra dubitationis aleam positum est. — Princeps ergo ac gravissimum prophylaxeos momentum est educatio, tum psychica, debitis conducta moralitatis principiis, et in quantum fieri potest, ad omnes animae dotes aquabiliter extensa; tum et physica congruis hygienes et macrobiotices innixa fundamentis; nam „mens sana nonnisi in corpore sano." — Medicis ergo non adeo incumbit, quam potius parentibus, paedagogis, educatoribus, ut haec principia sana generi humano instillentur.

§. 61. Majorem adhuc solertiam cura prophylactica ad praecavendas morborum psychicorum recidivas exigit. — Causae internae et externae, initium, forma et exitus praegressi morbi psychici, speciales largiuntur indicationes. — Summa vitae tranquillitas; sollicita evitatio omnium impulsuum pathematicam animi perturbationem excitantium, praesertim omnium reminiscentiarum status morbosi; occupatio viribus et facultatibus reconvalescentis adaequata; ac diaeta congrua, principalem merentur respectum.

B. Jatrike.

§. 62. Quemadmodum omnium morborum duplex est, directa nempe et indirecta, ita etiam illa Psychopathiarum. Prior causis morbi amovendis unice intenta, etiamsi summe rationalis, nonnisi rarissime locum habet, ob causas toties ignotas, aut nulla arte amovendas, aut et causis jamjam amotis, effectus tamen perstantes. Hisce in casibus ad Therapiam indirectam, quae abolitione effectuum occupatur, recurrendum; quae tamen ut rationalis nomen mereatur, indoli et naturae morbi adcommodanda erit. Absolvitur Jatrike remediis pharmaceuticis, chirurgicis, psychicis, et medico-technicis seu diver-

sis machinis, quibus aegros grato vel ingrato adficere conamur, sensu.

§. 63. Prout vero animae morbi (§. 16.) vel cum virium et facultatum mentalium exorbitantia, vel languore, vel demum cum qualitativa aberratione — ubi directio earum mutuaque proportio peccat — incedant; ita pro diversa singuli status conditione et medendi ratio erit adcommodanda; ita, ut statui exorbitanti methodus deprimens; languenti excitans; et qualitati alienatae methodus antagonistica, metasyncritica opponatur. Cum animae statu eodem plerumque incedit passu status virium somaticarum, haud unquam tamen et casu contrario obveniente; ut e. g. in Amentia, ubi psyches viribus languentibus, illae organismi exorbitant; hoc in casu in psychen agendum erit methodo excitante, in corpus deprimente; in illo vero corpus et psyche ejusdem indolis remediis oppugnanda veniunt.

Hisce innixa cardinibus Jatrike Psychopathiarum abit in *somaticam* et *psychicam*, utraque ulterius discedens in *deprimentem*, *stimulantem* et *antagonisticam*.

I. *Cura somatica.*

§. 64. 1. *Cura somatica debilitans* locum habere debet, ubi vera exorbitantia, aut erethismus virium et facultatum subversatur, estque vel universalis vel localis, et absolvitur *Antiphlogisticis* et *Narcoticis*. — Concludimus ad statum oxorbitantem e robore corporis adaucto, dolore, calore adaucto, congestionibus in capite, facie rubra, turgida, oculis scintillantibus, adspectu furioso, respiratione citata, motibus et jactationibus corporis vehementibus, alvo pigra, appetitu prostrato, pulsu forti, accelerato, pleno, duro; delirio feroci, animi renisu vehementi. — In hoc casu ad Antiphlogistica recurrendum, quo spectat depletio sanguinis larga, repetita, univeralis vel topica. Principem omni intuitu locum meretur venaesectio prompta et audaci manu experienda, imprimis in casibus Maniae acutae sub initio morbi, nunc in brachio, nunc in collo instituenda. Prorsus vero rejicienda est arteriae temporalis sectio a cla-

riss. *Burdach* commendata, quippe quod deligatione et compressione arteriae post factam depletionem liber sanguinis per diramationes circuitus cohibeatur, isque ad interiores cogatur partes; exiguum insuper e sanguinis missione proficiscens emolumentum, per necessariam violentam capitis maniaci fixationem in gravius convertatur detrimentum. Repetendae autem venaesectionis indicatio ubique ex speciali casus individualitate est desumenda, ubi tamen monentibus *Sydenhamo* (observ. med. Sect. I. Cap. 5.) et *Swietenio* (Comment. in Boerhav. Aphor. T. VI. p. 273) summa circumspectio habenda, ne nimis copiosa sanguinis jactura insanabilis inducatur Amentia. Quantae demum sub venarum apertura et ligatione cautiones exigantur, e furioso aegrorum statu, summa inquietudine et continuo repagula vincendi nisu facile colligitur. — Topicam sanguinis depletionem absolvunt hirudines copiosae ad emissaria Santorini, vel retro aures, (minus apte ad tempora), adplicitae; et scarificationes, praesertim ubi simul revulsionis necessitas est injuncta; quo in casu cucurbitae cruentae, nuchae aut occipiti impositae, magnum ferunt emolumentum. — Depletiones sanguinis principalem quidem absolvunt partem, adjuvandae tamen sunt per pharmaca refrigerantia, ut Nitrum, Acida, Digitalem purpuream. — Narcotica his copulanda, aut etiam sola adhibenda, ubi erethismus nervorum eminet, sensilitas praeter normam exaltata adparet; quae cernitur e medicamentorum aliorumque stimulorum etiam suetorum, ut lucis, sonorum summa impatientia; inquietudine et mobilitate corporis, fugaci turgore vitali, variabili temperie, cum contemporanea vivida, ast vigoris experte reactione, virium robore apparenter aucto, arteriarum micatu citato, contracto, debili, molli, inequali. — Hic principalem absolvunt partem Narcotica, ut Hyoscyamus, Belladonna, Datura Stramonium, et imprimis eorum rex: Opium, quod cauta tamen ac provida semper manu exhibendum, eo magis, cum phaenomena narcoseos in vesanis aegrius distinguenda, pro morbi symptomatibus facile habeantur. — Spectant porro ad methodum deprimentem derivantia, revellentia, irritamenta cutis, et purgantia leviora, (optime ad mentem *Neu-*

manni ex sale quodam medio cum granulo Tartari stibiati con flata); privatio omnium stimulorum, diaeta tenuis, inaedia, silentium, quies, solitudo; imprimis vero frigus, variis sub formis: fomenti glacialis, lotionis, balnei, adspersionis ex alto, embrocationis, immersionis adhibitum. Optimum ex hisce successum inducunt improvisae et largae superfusiones aqua frigida ex altitudine 4 — 6 pedum institutae. Raro vero prosunt, saepius nocent epithemata frigida capiti imposita, imprimis in maniacis, quippe quod ob applicationis difficultates, plerumque justo rarius reiterata incalescant.

§. 65. 2. *Cura somatica excitans* opponitur statui virium et facultatum languenti, apparenti ex habitu corporis misero, cachectico, temperamento frigido, facie collapsa, languida, oculis in orbitam retractis, adspectu tristi vel indifferente, inertia ad motum, gressu lento, vaccillante, nutritione infracta, pulsu debili, molli, lento, vacuo. Princeps hic certe exsurgit indicatio statum tali modo depressum erigendi, per stimulantia modo volatilia, modo vero fixa, ut sunt: Moschus, Camphora, Valeriana, Angelica, Castoreum, Assa foetida, Liquor C. C. amoniatus et succinatus, Vaniglia, Ambra, Olea aetherea; quibus modo roborantia, ut Cortex peruv. Mars, modo drastica, praecipue Helleborus, Gratiola subjungenda. — Aurum quoque metallicum hic commendatur a medicis homoeopathicis, imprimis in animi desponsione et Misautia, cujus egregias in quamplurimis casibus exhilarantes, et curas dissipantes virtutes, — minime quidem forma bracteolarum, illorumque ad mentem dosi ad $^1/_{10000}$ grani partem minuta, verum larga manu, et forma aureorum ponderosorum exhibiti, — nemo in dubium vocare ausit; quo major dosis, eo promptior quoque effectus. His quoque congrua adminicula diaetetica suppeditanda, ut aër purus, nutrimenta eupepta, aromatibus condita, sufficienti porrecta copia, imprimis vero divinum Bacchi donum: Vinum, quod tamen vetustum sit et generosum, justa dosi, imprimis praemii instar exhibitum vel meracum, vel Saccharo et Cinnamomo combinatum quod feminis praesertim adridet; exercitium corporis, incitamenta externa organa sensuum irritantia, ut calor moderatus, lux

intensior, strepitus, ptarmica, magnetismus, galvanismus, electricitas et quidem monente *Bertholon* *) positiva. Lotiones porro capitis frigidae, quae excitando et reficiendo simul agunt, et balnea universalia tepida, additis pro speciali indicationis casu, modo herbis aromaticis, modo globulis martialibus, praestantissima sistunt remedia externa. Balneorum marinorum per annos protractum usum clariss. *Horn* in Amentia cum Epilepsia complicata summe proficuum praedicat. Supersedendum vero Transfusioni sanguinis ut remedio admodum ambiguo et summe periculoso.

§. 66. 3. *Cura somatica antagonistica* ibi locum habet, ubi qualitas, directio, mutuaque proportio facultatum mentis et animi peccat. Pertinent huc omnia illa remedia, quae juxta leges antagonismi et antipathiae in organismo vigentis agentia, peripheriam systematis nervosi grato vel ingrato adficiunt modo, coenaesthesim immutant, sicque centrum morbose adfectum, a compedibus suis liberare valent. Recensentur ad hujus ordinis remedia: *a)* omnia ea, quae *cutim externam irritant*, inflammant, suppurationis in ea excitant processum, aut exanthema quoddam producunt; ut sunt: vesicantia, sinapismi, lotiones et inunctiones cum Tartaro stib., moxa, fonticuli, setacea, urticatio, insitio scabiei, imprimis in morbis ab ejus metastasi exortis, imo cutis incisiones; quae remedia, praeter quod sensum communem et nervos cutaneos, in hujusmodi morbis maximopere torpentes, excitando, activitatem partis centralis imminuant, sicque turbatum aequilibrium denno restituunt; moralem quoque effectum producunt sensum communem vario modo afficiendo. Verbera quoque huc pertinent eo majorem praestantia effectum, quo majus individuo insit punctum honoris **). Secundum ordinem antagonisticorum constituunt: *b) Evacuan-*

---

*) Anwendung und Wirksamkeit d. Electr. II. Bd. S. 39.

**) Bei Narren helfen die Stockschläge oft mehr, als alle andern Mittel; durch sie wird die Seele erweckt, sich wieder an diejenige Welt anzuschliessen, aus der die Prügel kommen.

(*Lichtenberg.*)

tia, se- et excretiones diversas solicitantia; quo pertinent emetica, purgantia, sialagoga. — Emetica praesentibus imprimis sordibus gastricis, pro casu necessitatis modo plena, modo refracta dosi exhibita, summae sunt utilitatis. Praeplacet hoc scopo Tartarus emeticus, tum, quod praeter vomitum catharsin simul cieat, tum, quod propter solubilitatem suam furibundis atque obstinatis aegris clandestine propinari, vel etiam forinsecus adplicari possit; — si ab hoc nullus prodit effectus confugiendum ad Antimonium regulinum. — Purgantia et sordes evacuant, et nervos intestinorum afficiendo antagonisticam efficiunt revulsionem. Adhibetur ad hunc finem drastica: Calomel, Jalappa, Aloë praesertim vero Helleborus, qui imprimis veteribus erat in laudibus. — Clar. *Lorry* vero dubium movet, an illa planta, quae antiquitus in usu erat, et e Theophrasti descriptione innotuit, eadem sit cum illa, quam nos sub eodem nomine etiam hodie noscimus. (*Lorry* de Melancholia II. p. 291.) — Sialagoga seu salivae secretionem promoventia sunt: Mercurius, minus bene Pyrethrum Antemis acri stimulo onusta. — *c)* Ultimam demum seriem antagonisticorum absolvunt remedia, quae *sensum communem afficiunt*, grato vel ingrato modo, positive vel negative, interne vel externe agentia. Accensenda huc omnia, quae dolorem, pruritum, nauseam, famem, vertiginem, defatigationem, inquietudinem etc. producunt; aut contra, quae coenaesthesim grato afficiunt modo, sicque hominem, quasi distrahendo ab idea ipsa perversa abstrahunt, et ad conscientiam veram reducunt. Ad priora numerantur epispastica, alterantia, confundentia, subemetica; ubi iterum Tartarus stib. praestat, ad diarrhoeam usque porrectus, cujus beneficae virtutes, non solum ex antagonistica irritatione stomachi, sensorium commune obrutum sublevante, sed etiam ex singulari, quam in universa oeconomia animali excitat, metasyncrisi, repetendae sunt; — porro frigus, quod qua tonicum, et contrahens et concutiens agit, praecipue ex improviso forma adspersionis, immersionis, et in furibundis poenae adinstar adhibitum. — Machina rotatoria maximi quoque effectus est in Maniacis, exceptis casibus con-

gestionis in capite, quo in casu aut depletio sanguinis praemittenda, aut haemormesis ope fomentorum glacialium praepedienda. — Adhibetur optime rota horizontalis, cui aeger capite centrum versus directo imponitur; compescuntur hoc modo aegri per timorem, ne ex machina decidant, quare mirum in modum concutiuntur, sicque eorum coenaesthesis alteratur, ut deligationem et liberationem a machina, in qua pallidi fiunt, contremiscunt, vomunt, imo urinam et faeces inscii deponunt, enixe implorent.

II. *Cura psychica.*

§. 67. Cura psychica, mentalis, dynamica, praeprimis in animae morbis locum sibi vindicans, immediate in mentem et animum agit, estque ea methodus medendi rationalis, quae facultates animae ita dirigit, ut sublata inter eas harmonia restituatur. Aberrare vero potest (§. 17.) a norma facultas intuendi cognoscendi et judicandi; vel vero facultas sentiendi, voluntas, actio; — videndum proin quaenam facultas, et quae hujus manifestatio aberret; videndum porro, qui aberret? an per excessum, aut defectum, an vero sola qualitas seu directio peccet; hinc methodus pro qualibet facultatis manifestatione alia erit, et quidem pro singula jam *deprimens*, jam *excitans*, jam vero *antagonistica*.

§. 68. *Methodus psychica deprimens* trahitur in usum, ubi sensibilitas et incitatio exorbitat, vel in toto organismo, vel eminenter in enkephalo, et quidem vel in omnibus ejus sphaeris, vel tantum in quibusdam; absolvitur haec cura omnibus iis, quae auctam sensibilitatem imminuere, animi pathemata deprimere, vel alia ipsis contraria excitare valent; ut sunt: tenebrae, solitudo, frigus, silentium vel sonus ac susurrus monotonus aquae decurrentis, separatio ab amicis, cognatis, familiaribus, curis domesiticis, quae maximum influxum in morbum psychicum habere solent; — quae tamen in cura privata difficillime in effectum deduci possunt; praestat hinc cura in morotrophiis, ubi aeger medicum, qua dominum supremum, cui in omnibus obtemperandum, agnos-

cere debet. — Cavendum tamen iram aegrorum excitare, hinc in eis domandis miti procedendum modo, quem in finem aegri saepius commonendi, humane persuadendi, et amice exhortandi, pudicitiae et honoris punctum eis prae oculos ponendum; nunquam vero ludibrio habendi, aut illudendi, maxima patientia et humanitate tractandi; — sin vero nulla prosit persuasio et demonstratio, asperius eos alloqui, objurgare, quin imo poenas minari juvat; — hunc in finem denegantur ludi, deambulatio, cibi certi eis adridentes; adsignatur conclave tenebricosum, imo colaphi et ictus in usum trahendi, humanitatis tamen cancellos haud unquam egrediendo; — ita vesanos et miseros mente captos absque causa, vel pro quovis levidensi peccato verberare, cum sint conscientia sui ipsius privati, certe esset inhumanum, eo magis, quum alios eos coërcendi habeamus modos. — Male porro aegris prospicitur, si inquieti statim ligantur, aut vinculis coëcentur; nam ob maximum tunc et assiduum nisum ad liberum motum, et continuos repagula vincendi conatus, magis adhuc commoventur, ad summumque furorem concitantur. — Praestat hinc, ubi fieri potest, custodum indefessa cura absurdas aegrorum intentiones impedire, inconcinnos eorum motus, sine magna tamen violentia, inhibere. Qui vero indomabiles, continuo fugam petere, sibi aut aliis violentas manus inferre moliuntur, cingulis sunt ligandi, ita tamen, ut omnis violentior membrorum compressio evitetur. — Ad reliqua adminicula coërcitiva pertinent: applicatio tunicae manicatae; armillae ferreae corio obductae, quae manibus illorum praecipue admoventur, qui onaniae indulgent; rota cava, cui aeger imponitur et si vel tantillum inquietus sit, statim movetur, aegrumque praecipitare minatur. Non incongrue quandoque, ast nonnisi in robustis, deprimens quoddam animi pathema, praesertim terror ex industria concitatus, ad compescendam ferocitatem adhibetur. Demum ex observationibus clariss. *Goergen* innotuit, etiam consociatione duorum maniacorum furorem unius, quandoque amborum infringi; quod vim evigilantis conscientiae luculenter evincit. —

§. 69. *Cura psychica excitans* in contrario statu, nempe in languore mentis et voluntatis in usum trahitur; contraria

prioribus adhibet remedia, influxus utpote vitales excitantes, sensuum externorum impulsus fortiores, ut lucem, strepitum, odoramenta fortiora, calorem adauctum, impressiones, quae imaginationem excitare valent, ut contemplatio imaginum pictarum, lectitatio librorum exhilarantium, distrahentium, ut historiae naturalis; fabularum romanensium; porro theatra, joci, conversationes, ludi; imprimis vero occupatio aegri continua, nova tamen ac inconsueta, praesertim musculorum validiori exercitio juncta, et, in quantum fieri potest, diversitate officiorum mentem distrahens, animum excitans; — hic imprimis utile dulci jungendum. — Optime conducunt labores agrestes, et venustarum florae filiarum cultura, rusticatio, peregrinatio in regiones locorum amoenitate insignes suscepta. — Animus aegrorum depressus directe erigendus, exhortationibus amicis, persuasionibus, praemiis promeritis, pathematibus excitantibus: spe, amore, laetitia. Stupidi ac indifferentes vero saepius appellandi, clara ac sonora voce alloquendi, saepius agitandi, vel saltem passive commovendi, continuo occupandi ac vexandi. — Omnibus vero palmam praeripit divina Orphei ars, magicas fere in animum humanum exerens virtutes; — harmonicus enim instrumentorum musicorum concentus animum explet laetitia, molestas dissipat curas, sedat animum exagitantes procellas, tranquillitatem et quietem humanis, vero aut imaginato dolore lacessitis, reconciliat praecordiis, ut merito a complurimis Psychiatris, summis in cura animae morborum extollatur encomiis *).

§. 70. *Cura psychica antagonistica* sub iisdem adhibetur rationibus, sub quibus curam antagonisticam somaticam in usum

---

*) Gewaltigen Zaubers Kraft beherrscht die Brust,
Aufregend oder stillend jede Leidenschaft;
Zur Wuth begeisternd und zu süssem Frieden;
Verworrenen Sinn und selbst Verzweiflung heilend.
Musik ist diese Kraft. —
Musik erhöht die Freude, schwächt den Kummer,
Verscheuchet Krankheit, mildert jeden Schmerz;
Sie zähmt des Giftes Wuth, den Hauch der Pest,
Und darum ist's, dass Weise einst verehrten
Der Heilkunst eine Kraft; der Töne Spiel.

Dr. *Armstrong*.

trahi vidimus. Hic enim quoque juxta leges antagonismi una sphaera excitata, altera eodem tenore deprimitur, sicque aequilibrium et sublata inter vires et facultates harmonia restituitur. Quod vero ut fieri possit, bene prius determinari debet, quae sphaera, et qualiter sit adfecta, ut dein definiri possit, in quid et qualiter agendum sit, ita si mens adfecta est, in animum est agendum, et vice versa. Prout vero cum alienata qualitate psyches, ejus quantitas quoque peccat (§. 16.) et quidem vel augetur vel minuitur, ita sub cura antagonistica jam adhibenda erit methodus distrahens, quae mentem ad unam eandemque ideam semper concentratam (languentem) distrahit, ad varia objecta deducit (erigit); jam vero methodus concentrans, quae psychen nimis distractam (excedentem) ad unam ideam restringit (deprimit). — Consequitur aegri distractio per societatem, conversationes, theatra, spectacula, musicam hilarem (Allegro), quae animum exhilarant, et salutarem idearum praefixarum dissipationem efficiunt. E contra vero methodus concentrans obtinetur per occupationem continuam et labores, quibus aegri olim adsueti erant, per lectionem historiae, geographiae, per musicam seriam (Adagio), quibus mens et animus aegri continuo occupantur, et adtentio ejus ad illud magis concentratur opus, quod exercere jubetur. — Neque tamen hic et immediatus, vivae vocis ope perficiendus, in aegrorum dementiam influxus, est negligendus, ubi tamen sedulo notandum venit: fixas vesanorum ideas cumprimis inchoante cura quam cautissime tractandas esse, quo facilius eos medicus suas in partes pro volupe trahere possit; minime tamen eos in pertinaci, quo saeve puniti existunt, confirmare mentis delirio, quod secus vix auferendas atque profundissimas figeret ultro radices. — Haud absimili quoque ratione vix unquam e re nata erit, phantasmata miserorum immediate adgredi, eaque simplici ac manifesta negatione, singulariter deductione ad absurdum oppugnare velle, tum quod ii quam difficillime ad disputationem suscipiendam permoveantur, tum quod semel eo perducti, adhuc pertinacius fixis mentis ideis adhaereant. — Levis quaedam ironia, contumelia haud exacerbans, demum in-

nocua hominum per ora traductio (Persiflage) longe citius atque melius ad rectum ducunt tramitem, quam manifesta oppositio, aut plenaria delirii studiose ostentata ignoratio. — Summum demum hoc intuitu merentur respectum hallucinationes sensuum externorum, ceu maxime communis fixarum idearum causa efficiens.

§. 71. Sub omni vero cura psychica nunquam obliviscendum, medicum curam hanc suscipientem, quaecunque suscepta frustranea agere atque moliri, nisi miseri aegri amorem et confidentiam intimam sibi conciliaverit. — Quod quidem inter summe ardua medici opera referendum, quum magno persaepe ingenii acumine, mentis perspicuitate ac longa nimis experientia opus sit, ut interiora animi mysteria revelentur, aptaque his conformentur consilia. Huc accedunt gradus culturae, character moralis, facultates mentales in homine quocunque differentes, imo consuetudo individui, quae omnia diversum ubique tractamen, specialioremque curam psychicam exposcunt. Hic imprimis verba *Langermanni* *) consideranda veniunt: „Omnis itaque Therapia psychica in prudentia versatur; sed quotquot remedia, stratagemata, consilia et fraudes etiam inveniantur et adhibeantur, tamen nihil aliud intendere oportet, quam adjuvare miseros mente captos ad sanam rationem recuperandam et obtinendam." — Medicus vero aegrum saepius de die etiam clandestine observare debet, et ita dirigere sciat, ut ipsum qua dominum suum supremum agnoscat, timeat et revereatur. Sit porro medicus sanus, robustus, ut et viribus eo superior, ejus forte impetum eludere, sicque tanto majus super eum sibi dominium procurare possit; porro venustas, dignitas, affabilitas, humanitas, severitas, socialitas et vocatio totidem sunt dotes, quibus medicus omnis, praecipue vero Psychiater, instructus esse debet.

---

*) Diss. de methodo cognosc. curandique animi morb. stabiliendα, Jenae 1797. p. 53.

III. *Cura complicationum.*

§. 72. In tractatione Psychopathiarum magnum merentur respectum complicationes morbosae; inter illas praecipue saburra, obstructio viscerum abdominalium, haemorrhoides, menstruationis et puerperii anomaliae, aliae nevroses, demum instinctus sexualis abnormis. — *Saburra* eliminatur purgantibus et emeticis. — Docuit vero experientia, aegros morbis psychicis adfectos ingentes emeticorum doses *) perferre, quin vomitus cieatur; juvabit tali in casu ad mentem *Willisii* et *Coxii* granulum Opii praemittere, et post aliquod temporis intervallum emeticum propinare, quod nunc, etiam consueta exhibitum dosi, vomitum sat tuto ciet. — Praesentiam *infarctus* et *haemorrhoidum* indicant; Hypochondriasis, temperamentum atrobiliare, plethora systematis venosi, in specie venae portarum, fluxus haemorrhoidalis, dolores sacrales; — obstructiones hepatis: color faciei et oculorum albugineae flavus, hepar tumidum; — adfectionem lienis: color lividus, gilvus, plumbeus, lingua livida, alvus dura, graveolens, urina foetens; hicce evacuantia, solventia, aperitiva locum sibi vindicant. — *Ataxia menstruorum;* ut menstruatio difficilis, dolorifica, vel suppressa vel penitus retenta, curam exigit, exclusis omnibus sic dictis emenagogis, in causas et fontes anomaliae primario directam; hinc modo depletiones sanguinis et antiphlogistica, modo tonica roborantia, modo vero narcotica omnem absolvent indicationis therapeuticae paginam. — *Abnormitates puerperii* designant: Mania puerperalis, consistens in anxietate, pervigiliis, inquietudine, vivacitate, loquacitate, risu continuo, aut taciturnitate et fletu, lochiorum et lactis imminuta vel suppressa secretione; quibus accedunt sordes primarum viarum, lingua impura, ructus, vomituritiones, praecordiorum anxietas, mammae flaccescentes, alcus parca. — Cura consistit in temperantibus, eccoproticis, aperitivis, emollientibus, injectioni-

---

*) *F.* nob. ab *Hildenbrand*, Annales scholae clin. Ticin. V. II. p. 117 et 219.

bus in vaginam, balneis etc. — *Nevroses* frequentissime sunt in connubio cum Psychopathiis, imprimis Hypochondriasis, Hysteriasis, Epilepsia, quae majori in gradu in ipsas Psychopathias transeunt. Epilepsiam talem Psychopathiae junctam *Nord* cum Argento nitrico, et *Percival* Terebinthinae et Machinae rotatoriae ope sanavit. — *Instinctus sexualis* plerumque excedit, hinc copulae sexus aut onaniae exercitium frequentissimum; in tali casu regimen diaeteticum congruum, occupationes continuae, refrigerantia, Camphora, imo armillae, quibus manus ligantur, sunt adhibendae.

C. Diaetetike.

§. 73. Omnis Therapia Psychopathiarum, tum psychica, tum somatica, consentaneo simul adjuvari et suffulciri debet regimine diaetetico ad eundem medendi scopum colliminante. Quo spectat ingestorum, gestorum, rerumque aegrum abientium, singulo virium et facultatum statui adaequata ratio. — Princeps vitae pabulum: *Aër*, primum quoque in hoc regimine defendit locum; qui ita constitutus esse debet, ut nullo frigoris aut caloris excessu, aut alia quacunque prava conditione irritamenti adinstar agat; sed adaptata ubique quantum licet temperie et qualitate, mox exorbitantem vitae actionem compescere, mox languentem erigere valeat. Convenit ergo in hypersthenicis Psychopathiarum formis athmosphaerae conditio frigidiuscula, subhumida, in asthenicis vero sicca, amoenum servans caloris gradum. — *Nutrimenta* universim moderata quantitate sunt exhibenda, exceptis asthenicis Psychopathiarum formis, ubi potius victus stimulans, polychilus et largiori quidquam copia propinatus convenit. Potus requiritur aquosus, copiosus, et frigidiusculus, et nonnisi in adynamicis morbis psychicis, vel ubi tenax urget adsuetudo, vinosus, ast multa aqua dilutus. — *Motus corporis* vehementiores, praesertim illi, qui propriis musculis perfici debent, in statu virium et facultatum exorbitante sedulo vitandi, melius conveniunt ad excitandos torpentes indifferentesque idiotas; laboribus inclinato nimis corpore perficiendis, ad praecavendas capitis congestiones cavendum. *Ve-*

stitus arctius corpori adstrictus vitandus, imprimis fasciae colli vel plane absint, vel nonnisi laxe adnexae. Mitrarum usus maniacis interdicendus, ubi dum dementibus praesertim hyemali tempore caput velare convenit; pedes vero non solum hyeme ad praecavendos perniones, sed etiam aestate revulsionis gratia, tibialibus laneis muniendi; singularis vero ac discriminans vestitus nonnisi petulantibus et ambitiosis decernendus. — *Somnus et vigiliae* quoque caute dirigi debent, ut aegri nec somno nimio obruantur, nec vigiliis protractis irritentur; situs quoque sub somno summe respiciendus; maniacorum sit capite elevato, dementium vero magis horizontalis. — *Sensuum externorum impulsus* fortiores, utpote lux et calor solaris, aestivus, ardens, strepitus ac odores fortiores in morbis psychicis hypersthenicis caute vitandi; contraria vero adhibenda, ubi aegri stupidi ac indifferentes excitandi, vel aegrorum ideas praefixas interne natas, externis fortioribus impressionibus elidere necesse est, et ubi solitae saltem res aegrorum sensibus objectae mentem ab immaginationibus morbose praesentatis avocare non valent. — *Mundities* summe possibilis scrupulose servanda, hinc lotiones et balnea non praetermittenda, quae in vesanis activis frigidiuscula, in passivis tepida conveniunt. — Demum *rythmico-typicus in vivendi ratione ordo* est servandus, cui aegri omnium primo adsuefaciendi et strenue adstringendi.

D. Nomothetike.

§. 74. Ultimam partem curae morborum psychicorum constituit Nomothetike, quae spectat securitatem ipsorum aegrorum, aliorum civium, et bonorum ipsis appertinentium, omniumque malorum aversionem. Haec discedit in duos ramos, nempe in Nomothetiken medico-forensem, et in Nomethetiken politicam.

Prior tres scopos adsequendos habet: *a)* ut status animae morbosus rite determinetur, vere morbosus a statu simulationis distinguatur, quod praestat Semiotike psychica forensis; *b)* ut modi et media suppeditentur, quibus status vere morbosus a statu simulato distinguatur, exploretur; hunc in finem medi-

cum politicum, perspicacem et versutum esse oportet; c) demum ut verum et accuratum formetur judicium de statu morboso qualitativo.

Altera modos docet, mediaque suppeditat securitatis et tutellae aegrorum aliorumque concivium.

§. 75. Optime tam cura somatica, quam psychica; Diaetetike, quam et Nomothetike in effectum deducitur in propriis ad hunc scopum erectis institutis publicis, seu *Morotrophiis.* — Horum proin nomine intelliguntur illa instituta publica, in quibus cura et securitas mente captorum geritur. — Instituta vere talia nonnisi in decus seculi nostri existunt; antiquitus aut nulla adfuerant, aut fini et scopo undequaque non correspondentia. — Optima, quae nunc existunt, sunt in Anglia (Bedlam, St. Lukas), in Gallia (Bicétre, Salpétriére, Charenton), in Germania (Charité, Sonnenstein), in Italia penes Neapolim. Morocomium tale debet esse situm extra urbem, ast non nimis procul ab hac, in loco sano, quidquam elevato, amoeno; forma aedificii non adeo abludere ab illa reliquorum, ne vel ejus solo adspectu aeger perterreatur; porro tale aedificium in longum potius et latum, quam in altum sit exstructum, adeoque ad summum unius contignationis. — Additus omnibus extraneis et curiosis praeclusus sit oportet, ideoque unica solum porta aedificium sit instructum, ita locata, ut omnes intrantes per hanc et per habitaculum domus magistri transire debeant. — Adsint in tali aedificio separata cubilia correctioni, castigationi, distractioni, comestioni et habitationi aegrorum dicata. In solo correctorio omnia necessaria instrumenta, machinae et balnea adesse debent; in cubili distractionis omnia necessaria, quae mentem animumque aegrorum recreare valent, cui fini etiam aula, hortusque destinata adesse debent. — Cubilia sint munda, sat ampla, parietes optime vernice obducti, quo in casu defoedati facile ablui possunt, sicque eorum sanitati nociva trulissatio evitatur; sint porro fenestra alta, ut aeger eam attingere nequeat (ubi etiam clathri ferrei supervacanei evadunt), et portae opposita instructa; lectis necessariis, sedilibus et mensa utique fixis nec mobilibus provisa. — Demum medicus

proprius alii secundarii, pharmacopola, parabolani, servi etc. adesse debent, ut sic non solum custodia atque securitas, sed etiam cura ejusmodi infelicium institui possit. Atque ejusmodi Morocomio non solum metropolis, sed etiam singula urbs major instructa esse deberet. —

Necroscopia.

§. 76. An et quid cadaverum lustrationes ad naturam morborum psychicorum revelandam conferre possint, ex superius (§. 34. — 36.) jam adlatis desumere licebit. — Psychopathiarum imprimis ex solis causis dynamicis oriundarum, quae in abnormibus solummodo cerebri oscillationibus solisque dynamicis processibus fundatae, e perversa cogitandi et sentiendi tantum ratione innotescunt, causas et vestigia in exanimi cadavere scalpellus anatomicus detegere, sensuumque acies summa distinguere ibi frustra conabitur, ubi non luculentissima structurae organicae a psychicis causis, vel chaotice luxuriante plasticitate vitiatae, adsunt indicia. Hisce vero in casibus phaenomenorum sensibus post Psychopathias obviorum adeo ingens est numerus et diversitas, ut vix fere vitium existat organicum, vel morbosa conditio, quae non solum in cerebro, imo in organo corporis qualicunque in cadaveribus dementium deprehensa fuisset. — Adtendendum tamen nimiopere erit, num ejusmodi mutationes reapse causae morbi psychici sint, an non potius ejus effectus et producta sistant; quod quidem haud raro difficulter decernendum. Praestat tamen et hic generales sequi anatomiae pathologicae regulas, hinc concretiones, effusiones, pseudoplasmata, suppurationes etc. quae consuetim adfectiones pathologicas secundario excipiunt modo, in sectionibus dementium quoque ut sequelas morborum psychicorum considerare. — Mutationes praecipuas, quas extispicia cadaverum dementium revellarunt, sistunt imprimis abnormitates plasticae cerebri, praecipue ejus velamentorum (substantiae corticalis, menyngum et cranii), rarius ipsius medullae, cujus anomalias et in hisce casibus a plastica ejus sphaera, membranis nempe obvestientibus, et plexibus choroideis profectas offendimus. —

762

§. 77. Cranium imprimis in amentibus et cretinis utplurimum varias exhibet deformitates: verticem et tempora complanata, protuberantias ossis occipitalis minus prominentes; ossa crassa, ponderosa, diploë carentia; foramina vasorum et nervorum, transgressui dicata, angustata; quae deformitates cranii capacitatem minuentes, in cerebrum premendo agunt, ejus vivum motum, sanguinisque sufficientis copiae adfluxum prohibent. — Praeter has formae et figurae cranii innumerae adhuc reperiuntur deflexiones, uti exostoses, suturarum coalitiones, vitia sellae turcicae, processus klinoidei elongati, nimis et acuminati; demum varii ossium cranii morbi, imprimis caries. —

§. 78. Concretiones durae matris cum cranio, ejusque ossifactiones, incrassationes et callositates arachnoideae, adhaesiones cum contiguis menyngibus, variae abnormitates membranae vascularis, imprimis inflammatoriae indolis, sunt quoque phaenomena, quae frequentissime deprehenduntur. Piae menyngis vasa, imprimis venosa, una cum sinubus dilatata, (*Haslam* S. 52. 55.) multo, atro et crasso sanguine impacta, (*Horn*'s Archiv, Juni 1818.); massa medullaris rubescens, innumeris obsita punctis rubris, hinc inde caerulescens, plexus chorioidei turgescentes, imprimis post Maniam frequenter, et eo magis expressa, quo ferociores aegri fuerunt, deprehenduntur. Nec rarius varii hypoclepseos morbosae effectus: effusiones seri liquidi, nunc limpidi, inter laminas Arachnoideae, rarius sub pia matre *); nunc cruenti, aut materiae puriformis in ventriculis enkephali et fundo cranii; materiaeque viscidae, gelatinosae aut caseosae arachnoideam obducentis insignis copia obveniunt. Varia quoque reperiuntur Pseudoplasmata et cacomorphoses imprimis plexum choroideorum; porro hydatides, quae semper in partibus membranosis vel plexibus choroideis radices suas figunt; imprimis internam arachnoideae, piae menyngi conversam obsidentes laminam, varias functionum men-

---

*) *Greding* in 216 dementium cadaveribus rimatis, 120ies effusiones serosas inter laminas Arachnoideae, et 57ies sub pia matre invenit.

talium producunt anomalias; in externa vero lamina duram matrem obvestiente desidentes. rarius alienationes mentis, frequentius lethum pariunt, imprimis mediante Apoplexia. (*Burdach* III. 351.) —

§. 79. Cerebrum dementium juxta observationes *Meckelii* (Mem. de l' acad. à Berlin, V. XX. p. 76.) minoris est ponderis specifici, quam illud sanorum; et *Malacarne* (Neuro-Encefalotomia p. 7. 20.) in cerebello stupidorum et hebetum vix 320 numeravit lamellas, ubi illud acutorum et ingeniosorum prope 800 exhibuit; pariter corticalem inter et medullarem substantiam in cerebro vesanorum minor intercedit differentia, (*Burdach* §. 713.) illaque plerumque cernitur pallida, decolor, flavescens, in hebetibus et cretinis (*Meckel*, Mem. de l' acad. à Berlin 1764. p. 69. 77. 81.) haec vero squalida, fusca, in Maniacis et Apoplecticis, praesertim provectioris aetatis. (*Morgagni* IV. 21. V. 15. 16. VIII. 9.) Non raro substantia corticalis valde extenuata deprehenditur in dessipientibus et maniacis (*Röderer*, de cerebri scirrho. Götting. 1762.) praevalens in amentibus, (*Nasse*, Zeitschrift 1823. Heft 3. S. 218.) indurata in cretinis et Melancholicis. *Burdach* III. §. 347. et 369.) — Defectus quoque singularum partium, ut hypophyseos, pedis hippocampi minoris (*Hastings*, London med. Repos. V. VII. p. 74. — 78.) quandoque obveniunt, prout et variae substantiae cerebralis degenerationes in massam melliformem, caseosam, aut granulosam; quae in diversis cerebri partibus, nunquam tamen in ponte Varoli et medulla oblongata, occurrunt. —

§. 80. Cerebellum in cadaveribus dementium universim rariores patefacit abnormitates, et quidem ex eo, quod ipsum in functiones mentales minus influens, potius instinctui et actionum decisioni dicatum, tantae simul in vita plastico-animali est dignitatis, ut vitalis processus exstinguatur, antequam organica metamorphosis, quae mentis alienationem producere valeret, succedere queat. — Quae tamen cerebelli abnormitates (plerumque defectivae) obveniunt, adynamicis Psychopathiarum formis junctae esse solent, imprimis Amentia, ubi mox praeter normam evolutum, mox vero flaccidum (*Neumann*, Krankhei-

ten des Gehirnes p. 219.) cum immodico ventriculo quarto, varieque degeneratum deprehenditur. Neque tamen praetervidendum, quod plerique morbi psychici tandem in Amentiam transire consuescant, hinc in ea diversissimae cacomorphosium species occurrere possint. —

Demum et abnormitates miscellae medullae cerebralis morbis psychicis quandoque subsunt. Ita *Cuerbe* (*Schmidt*'s Jahrb. IV. 259.) chemica exploratione in cerebro idiotarum 0,01 — 0,005 phosphori, in normali cerebro 0,02 — 0,025, et demum in illo maniacorum 0,03 — 045, adinvenit. Pariter experimentis celeb. *Haslam* (p. 53.) innotuit, quod serum in cerebro effusum calore et acidis non coaguletur, quieti commissum sedimentum deponat, addito quoddam acido vel aucto caloris gradu iterum solvendum; quodve in caeruleos vegetabilium succos alcalium more reagens, solutione argenti nitrici praecipitatum, evaporatione demum in crystallos cubicas coagi possit; e quibus prodit in illo liquido, praeter sales quosdam, etiam liberum alcali contineri.

§. 81. Quae de cerebello dicta sunt, eo minus adhuc de medulla spinali valent, quae motui imprimis inserviens, eo minorem in functiones mentales exerit influxum, quo magis a cerebro distat; gravissimi hinc obveniunt medullae spinalis morbi absque ulla alteratione facultatum psychicarum. Nec desunt tamen exempla abnormitatum in medulla spinali ejusque nervis adinventarum, quae cum morbis psychicis imprimis adynamicae indolis in nexu quodam versari videntur; ita *Cayré* in 9 Amentiae casibus nervos spinales flavescentes, extenuatos, quasi tabe consumtos, multo densoque textu cellulari obvolutos invenit; pariter *Pinel* junior (*Nasse*, Zeitschrift 1821. Heft 1. S. 215.) simili in casu nervos cerebrales et spinales atrophicos, nervum vero sympathicum in omnibus ramis atque gangliis admodum evolutum reperit; cujus quoque influxus in facultates mentales facile intelligitur, quatenus vasa cerebri ab eo providentur.

§. 82. Inter reliquas diversorum organorum abnormitates, quae cum Animae morbis in nexu adinventae fuerunt, imprimis cordis vitia diversissima tum quoad situm, formam, magnitudi-

nem et organisationem frequentissime occurrere ex observationibus clariss. *Nasse* (Archiv für medizinische Erfahr., 1817. Jul. et Aug. p. 161.) *Corrisarti* (sur les maladies et les lesions du coeur, Paris 1806. p. 34.), *Kreissigii* (Krankheiten des Herzens, Berlin 1814. V. I. p. 336. V. II. p. 125.) et *Meckelii* (Mem. de Berlin 1755. p. 76.) innotuit. Notari vero meretur, quod cum organicis cordis vitiis imprimis passivae Psychopathiarum formae, ut Amentia, Melancholia, Animi desponsio, et propensio in suicidium etc. consuetim obveniant. — Quae demum reliquorum organorum in cavo abdominis sitorum Abnormitates, post Psychopathias occurrere possint, ex jam superius adnotatis (§. 36. d.) facile colligitur. —

Litteratura.

Ackermann, über die Kretinen; Gotha 1790.

Arnold Th., Beobachtungen über die Natur, Arten, Ursachen und Verhüthung des Wahnsinnes oder der Tollheit; a. d. Engl. von *Ackermann*, Leipzig 1780.

Battie, Treatise on madness, London 1758.

Bird, über Einrichtung und Zweck der Krankenhäuser für Geisteskranke, Berlin 1835.

Bird, practisch-psychiatrische Schriften, Stuttgart 1840.

Blumröder, über das Irreseyn, oder anthropologisch-psychiatrische Grundsätze, Leipzig 1836.

Broussais, de l'irritation et de la folie, Paris 1828.

Burdach, Bau und Leben des Gehirnes.

Burrows Untersuchungen über gewisse, die Geisteszerrüttung betreffende, Irrthümer, a. d. Engl. von *Heinroth*, Leipzig 1822.

Buzorini, Untersuchungen über die körperlichen Bedingungen der verschiedenen Formen von Geisteskrankheiten, Ulm 1824.

Chiarugi, della pazzia in genere e in specie, Florent. 1793.

Cox I. M., Practische Bemerkungen über Geisteszerrüttung, a. d. Engl. von *Bertelmann*, Halle 1811.

Crichton Alex., an inquiry in to the Nature and Origin of mentat derangement, London 1798; übers. mit Anmerkungen und Zusätzen von *Hoffbauer*, Leipzig 1810.

Crowther, practical remarks on insanity, London 1811.

Daquin, la philosophie de la folie, Paris 1792.

Esquirol, des passions considérées comne causes, symptomes et moyens de traitement de l'alienation, Paris 1805.

Esquirol, allgemeine und specielle Pathologie und Therapie der Seelenstörungen, frei bearb. von *Hille*, Leipzig 1827.

Esquirol, Mémoir sur les crises de l'aliénation mentale. Journ. de médicine de *Sedillot*, 1804.

Esquirol, Note sur la Monomanie-homicide, Paris 1827.

Foderé, Traité du delire, Paris 1816.

Friedreich, Diagnostik der psychischen Krankheiten, Würzburg 1829.

Friedreich, Magazin für Seelenheilkunde.

Georget, Traité de la Folie, Paris 1827.

Georget, neue gerichtsärtzliche Untersuchungen über den Wahnsinn, Würzburg 1830.

Harper, Treatise on the real cause and cure of insanity, London 1789.

Haslam, Beobachtungen über den Wahnsinn; a. d. Engl., Stendal 1800.

Haslam, Considerations on the moral management of insane persons, London 1817.

Hasseberg, Dissertatio de erroribus mentis humanae, Hallae 1790.

Heinroth, Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens, Leipzig 1818.

Heinroth, Unterricht im zweckmässigen Selbstbehandeln bey beginnenden Seelenkrankheiten, Leipzig 1834.

Hoffbauer, psychiologische Untersuchungen über den Wahnsinn, Halle 1807.

Horn, Archiv für medizinische Erfahrungen.

Jacquelin Dubuisson, des Vésanies ou Maladies mentales, Paris 1816.

Knight, Beobachtungen über die Ursachen, Symptome und Behandlung des Irreseyns, Köln 1829.

Lorry, de Melancholia et morbis melancholicis, Paris 1763.

Marshall, Untersuchungen des Gehirnes im Wahnsinn, übers. von *Romberg*, Berlin 1820.

Mayo, Remarks on insanity, London 1817.

Nasse, Zeitschrift für psychische Aerzte.

Neumann, Krankheiten des Verstellungsvermögens, Leipzig 1822.

Neumann, Krankheiten des Gehirns.

Oegg, die Behandlung der Irren, Sulzbach 1829.

Pargeter, theoretisch-practische Abhandlung über den Wahnsinn, a. d. Engl., Leipzig 1793.

Perfect, Annalen einer Anstalt für Wahnsinnige, a. d. Engl. von *Heine*, Hannover 1804.

Perfect, auserlesene Fälle von verschied. Arten des Wahnsinns, nebst ihren Heilarten; a. d. Engl. mit Anmerkung. von *Ch. F. Michaelis*, Leipzig 1789.

Pinel, philosophisch medizinische Abhandlung über die Geistesverirrungen oder Manie, a. d. Franz. übers. und mit Anmerkungen versehen, von *Michael Wagner*, Wien 1801.

Pinel, Mémoire sur la manie périodique ou intermittente. Tom. I. des Mémoires de la Société medicale d'émulation, Paris 1797.

Pinel, Recherches et observations sur le traitement moral des aliénés. Tom. II. des Mém. de la Société med. d'émulation, Paris An VII.

Pinel, Observations sur les aliénes et leur divisions en espèces distinctes. Tom. III. des Mém. de la Société med. d'émulation, Paris An VII.

Reil, Rhapsodien über die Anwendung der psychischen Curmethode auf Geisteszerrüttungen, Halle 1817.

Ruland, über die Begriffe von Gemüthskrankheiten, und den Einfluss des Gemüths auf den menschlichen Körper; Würzburg 1801.

Rush, On the Diseases of the human mind, Newyork 1812; übers. Leipzig 1825.

Spurzheim, Beobachtungen über den Wahnsinn, nach dem Engl. und Franz. bearb. von *Embden*, Hamburg 1818.

Vering, psychische Heilkunde, Leipzig 1821.

Voisin, des causes morales et physiques des maladies mentales. Paris 1826.

Wenzel, über den Cretinismus, Wien 1802.

Willis Fr., Treatise of mental derangemont, London 1823.

Theses defendendae.

1.

Crescente cultura crescit numerus morborum.

2.

Diuturna in morotrophiis mora et medici mentem turbare valet.

3.

Criteria plenariae sanationis vesaniae non dantur.

4.

Ad revelandam morborum naturam plurimum Anatomia pathologica contribuit.

5.

Doctrina homoeopathica plura quidem continet nova et vera, sed dolendum, novum non verum, et verum non novum esse.

6.

Adridens Baccho adflebit Aesculapium.

7.

Non morimur, sed aliter orimur.

8.

Ad stabiliendam diagnosim medicus non indiget instrumentis.

9.

Ars medica et illa poëseos poli sunt inimici, hinc medicus non esto poëta, et poëta medicus.

10.

Omnis Autocheir vesanus.

11.

Immoralitas, scelus et dementia ex eodem scaturiunt fonte.

12.

Pharmacologia ingens, remedia pauca.

13.

Nocet omnis medicina morbo major.

14.

Sacra vitae anchora circumspecte agentibus est Opium Cymba Charontis in manu imperiti. (Wedel.)

15.

Mens sana nonnisi in corpore sano.